This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

600050784U

600050784U

ANTIPHONTIS ESSE ORATIONEM

QUAM EDITIONES EXHIBENT PRIMAM.

FRANCISCUS WIEDENHOFER
DEMONSTRAT.

SEPARAT-ABDRUCK AUS DEM JAHRESBERICHTE ÜBER DAS K. K. STAATS-GYMNASIUM IM II. BEZIRKE WIENS.

WIEN, 1884.

IM SELBSTVERLAGE DES K. K. STAATSGYMNASIUMS IM II. BEZIRKE.

DRUCK VON J. B. WALLISHAUSSER.

ANTIPHONTIS ESSE ORATIONEM

QUAM EDITIONES EXHIBENT PRIMAM.

FRANCISCUS WIEDENHOFER,

DEMONSTRAT.

SEPARAT-ABDRUCK AUS DEM JAHRESBERICHTE ÜBER DAS K. K. STAATS-GYMNASIUM IM II. BEZIRKE WIENS.

WIEN, 1884.

IM SELBSTVERLAGE DES K. K. STAATSGYMNASIUMS IM II. BEZIRKE.

DRUCK VON J. B. WALLISHAUSSER.

29 NOV 84

Antiphontis esse orationem, quam editiones exhibent primam.

Ex quindecim, quae sub Antiphontis nomine circumferuntur, orationibus, quas omnium praeter primam titulis accurate laudatis in τῶν φονικῶν genere collocari veteres adfirmant scriptores, omnes quinta excepta, quae inscribitur περὶ τοῦ Ἡρῴδου φόνου, in dubium venerunt. Nam Pierronem in hist. litt. Graec. p. 315 sq.[1]) argumentis, quibus quintam quoque orationem ab Antiphonte abiudicandam esse contendit, subtilioribus quam verioribus niti nemo non videt. Ac primum quidem Ionsius[2]) omnes, quae exstant, orationes „scholasticas atque fictas esse declamationes" dixit argumentis idoneis, quibus sententiam suam probaret, non allatis, Ruhnkenius autem[3]) omnes orationes, cum veterum grammaticorum et lexicographorum testimoniis fulcirentur, genuinas esse habendas existimavit. Attamen Schlosser[4]) postea ad Ionsii accessit sententiam, quamquam hoc nihil aptius ad persuadendum attulit. Contra eum Maetzner[5]) omnes orationes Antiphonteas esse censuit. Cuius rei argumento ei est, quod et veteres scriptores earum saepius mentionem faciant et veterum criticorum de huius oratoris orationum natura atque indole iudicia optime cum Antiphontis orationum reliquiis consentiant[6]). Tamen primam orationem, quam iam ante eum Spengelius[7]) Antiphontis esse negaverat, ab imitatore quodam scriptam videri concessit. Schoemannus vero, qui de Maetzneri libro iudicium tulit[8]), quintam tantummodo et sextam Antiphonteas esse, reliquas ab homine quodam mediocris ingenii confectas esse existimavit.

Neque qui postea in orationes Antiphonteas inquisiverunt, inter sese consenserunt. Quorum primus Wagener in libello, quem supra dixi, sextam orationem ab Antiphonte abiudicandam esse censuit, quamquam infirmioribus usus est argumentis, quam ut quemquam ad suam traduceret sententiam.

---

[1]) Cf. A. Wagener: Étude sur l' authenticité du discours d' Antiphon *περὶ τοῦ χορευτοῦ*. Extrait de la Revue de l' instruction publique. Tome XIII., n⁰ 2. Gand. 1870. p. 5 sq. — [2]) De scriptoribus hist. philos. lib. IV., p. 328 sqq. 1659. — [3]) in ea, quam Petri van Spaanii sub nomine scripsit, de Antiphonte dissertatione. Lugd. Bat. 1765, in Reiskii orat. Graec. vol. VII., p. 821. — [4]) Weltgeschichte 1873, II, S. 105. — [5]) Antiphontis orationes XV. Berolini. 1838. praef. IV—IX. — [6]) Ad haec comprobanda Maetzner eosdem, quos Ruhnkenius, adfert locos. — [7]) *Συναγωγὴ τεχνῶν*. Stuttgart 1828. p. 118. — [8]) Jahrb. für wissensch. Kritik. Berlin. October 1839. S. 482.

Praecipue autem prima et, quae primam sequuntur, duodecim orationes deductae sunt in controversiam. Ac tetralogias quidem, quae vocantur, tantum abest, ut in dubio ponam, ut examinatis, quae Maetzner [1]), Kayser [2]), Blassius [3]), Perrotus [4]), Bothius [5]) de illis accurate atque exquisite putaverunt, mihi persuaserim causam non esse, cur eas spurias esse existimem. Neque aliter hac de re statuit Jernstedtius, ille Petropolitanus Antiphontis editor [6]). Item Blassius in iis, quae de tetralogiis disseruit, et in libro, quem supra laudavimus, et in utraque editione [7]) huius sententiae defensor exstitit.

Nec comprobare possum sententiam Herwerdeni [8]), qui Cobetum secutus ex dicendi genere tetralogiarum scriptorem longe alium fuisse ac reliquarum auctorem concludi posse explanavit. In Herwerdeni partes it Dittenberger [9]), cum se exempla ab illo de dicendi genere collecta et augere et argumentis e tetralogiis ipsis depromptis has subditicias esse evincere posse dicit.

Spengelii vestigiis ingressi Schmittius [10]) et Pahlius [11]) primam orationem Antiphontis esse prorsus negarunt, quamquam Spengelius postea adprobante Bekkero [12]) facere non potuit, quin primam orationem Antiphonti vindicaret, quod summa inter eam et quintam sextamque similitudo intercederet dictionis [13]). Item Kirchner [14]) in oratione prima omnino Antiphontis stilum reperiri adfirmavit.

Blassius autem, qui in disputatione, quam inscripsit „Zu Antiphon und Lysias" primam orationem omnium, quae Antiphonti tribuuntur, antiquissimam esse neque incondito quodam sermone carere contendit multis exstantibus et orationis acerbitatibus et molestis circuitibus et verborum iterationibus, quas ad interpolatorem quendam referri posse arbitratur [15]), paulo post in libro, qui inscribitur „Die attische Beredsamkeit von Gorgias bis Lysias" eandem in dubium vocare non dubitavit [16]). Nam Antiphontem hanc orationem, si omnino ei tribuenda sit, in arte dicendi parum progressum scripsisse censet idque sibi, quominus eam ab Antiphonte abiudicet, impedimento esse dicit, quod huius notitiam habeamus minorem, quam ut certam ea de re dicere possimus sententiam. Neque Lehmannus in disputatione [17]), quam scripsit,

---

[1]) Cf. l. c. p. 148 sqq. — [2]) Antiphons Tetralogien. Rhein. Mus. N. F. 12. Jahrg. 1857. S. 224 ff. — [3]) Die attische Beredsamkeit von Gorgias bis Lysias. Leipzig 1868. S. 137—177. — [4]) Revue des Deux Mondes, Février. 1871. p. 425 ff. — [5]) De Antiphontis Rhamnusii tetralogiis. Programm des Gymnasiums zu Oldenburg. 1876. — [6]) Jernstedtius, praef. p. XXXIX. adn. — [7]) Antiph. orationes et fragmenta et. ed. Blassius, Lipsiae 1871, p. XXXII, et eiusdem editoris editio altera, Lipsiae 1881, p. XLV. — [8]) Mnemosyne, nova series IX., p. 203—206. — [9]) Hermes, XVI, 1881: „Sprachliche Kritiken für die Chronologie der Platonischen Dialoge. Anm. 1." Cf., quae dicunt Bohlmannus in libello, qui inscribitur: De attractionis usu et progressu ..... apud Herodotum, Antiphontem .... Dissert. inauguralis, Vratisl. 1882, p. 10. et I. I. Hartman in studiis Antiphonteis, Lugduni Batavorum, 1882, p. 36 sq. — [10]) De oratione in novercam, quae Antiphontis fertur, dissertatio. Progr. d. Gymn. zu Fulda. 1853. — [11]) Die Reden des Antiphon. Eine kritische Untersuchung. Jever 1860. — [12]) De sophisticarum artium vestigiis apud Thucydidem, p. 14 sqq. — [13]) Rhein. Mus. N. F. Jahrg. 17. S. 167. — [14]) De temporibus orationum Antiphontearum. Gymn. Progr. Frankfurt a./d. O. 1863/64, S. 1 ff. — [15]) Vide Rhein. Mus. N. F. 21, S. 273 ff. — [16]) Vide l. c. p. 184 sqq. — [17]) Thucydidem in orationibus suis vere habitis minus respicere demonstratur et genus dicendi, quo historicus in illis usus est, cum Antiphontis dictione comparatur. Putbusii, 1876, p. 10.

a Blassii sententia dissidet statuens primam orationem, etsi non pauca ingenio Antiphontis indigna in ea insint, ab oratore adulescente scriptam esse. Rud. Schoellius autem, censor prioris editionis Blassianae [1]), in qua ut in altera [2]) Blassius, p. XXII, an prima oratio ab Antiphonte non profecta sit, dubitat, hanc orationem genuinam quidem esse, sed nudis quasi membris contineri existimat parum excultis, quae edere illi non fuerit in animo [3]). Eandem orationem Ad. Hoppius [4]) rectissime omnibus, quae adversarii protulerant, argumentis reiectis eodem iure, quo quintam et sextam Antiphonti adiudicandam esse verbis haud ambiguis demonstravit, quamquam Blassium, qui eius libellum pertractavit, sibi conciliare nequivit [5]).

Ceterum neque Hoppii neque Blassii disputationibus rem ad certum quendam finem perductam esse verbis illustratur, quae in medium protulerunt C. Fuhr [6]), qui primam orationem subditiciam esse credit, et Morawskius [7]), qui facere non potest, quin eam Antiphontis esse putet.

Iam quaestionem de prima Antiphontea, utrum vera sit necne, institutam tot tantisque virorum doctorum iudiciis exstantibus adhuc omnino exploratam non esse vides. Nec minus, qui huic orationi titulus praefigendus sit, adhuc sub iudice lis est. Nam plurimi inscribunt: κατηγορία φαρμακείας κατὰ τῆς μητρυιᾶς; sunt autem, qui orationi titulos indiderint: κατηγορία φαρμακείας κατὰ μητρυιᾶς [8]) vel κατηγορία φαρμακείας [9]). Cum autem hic titulus et orationis ipsius argumento repugnaret et insolitam quandam exhiberet verborum consociationem, Philippius [10]) adductus est, ut orationem κατὰ μητρυιᾶς φαρμάκων inscriberet. Quam ob causam Jernstedtius, ad cuius opinionem Blassius quoque accessit [11]), habebat, cur titulum, qui est φαρμακείας κατὰ τῆς μητρυιᾶς, praeponeret.

Verum priusquam ipsi in hanc orationem inquiramus, causam brevi explanare nobis liceat. Est autem haec: Is, qui orationem habet, novercam accusat, quod patrem suum, ipsius maritum, potione, quam non ipsa quidem dederit, sed per Philonei cuiusdam paelicem curaverit praebendam, interfecerit. Noverca paelicem ad credendum adduxit se habere, quo denuo utriusque viri in ipsas amor incenderetur. Exhausto veneno, quod et patri eius, qui verba facit, et Philoneo inter cenam post sacrificium apparatam in vino datum erat, factum est, ut Philoneus, cui plus dedisset paelex, statim perimeretur, amicus eius morbo viginti dierum conficeretur. Paelex, quippe quae potionem iis ministrasset, comprehensa tormentis admotis periit, ipsam

---

1) Antiph. orationes et fragmenta adiunctis Gorgiae, Antisthenis, Alcidamantis, quae feruntur, declamationibus. Teubn. Lipsiae. 1871. — 2) Quae prodiit Lipsiae 1881. — 3) Cf. Fleckeisen, Jahrbb. f. Philologie. Bd. 103, S. 298—309. — 4) Antiphonteorum specimen. Diss. inauguralis. Halae Saxonum 1874. Quo non parum in conficiendo libello meo me esse adiutum grato animo confiteor. — 5) Bursians Jahresbericht 1874—75. Bd. 3, S. 478. — 6) Excurse zu den attischen Rednern. Rhein. Museum, 33. Jahrg. 1878, S. 565. — 7) Bemerkungen zu den attischen Rednern. Zeitschr. für die österr. Gymn., 30. Jahrg. 1879, Heft 3, S. 165. — 8) Schäfer: De nonnullarum particularum apud Antiphontem usu. Diss. Gottingae 1877, p. 1. — 9) Hoppius l. c. p. 16. — 10) Der Areopag und die Epheten. Berlin 1874, S. 41. — 11) Cf. eius Antiphontis editionem alteram.

autem auctorem privignus interea sui iuris factus, cum a patre ei mandatum esset, ut ab ipsius interfectoribus poenas repeteret, in ius vocat.

Iam vero, si haec accurate perlegeris, non poteris non intellegere hanc non φαρμάκων (φαρμακείας), ut ait Blassius [1], sed βουλεύσεως actionem existimandam esse, ad quam sententiam Maetzner in ultimis libri sui paginis se applicuit [2]. Nam φαρμάκων actio, ut ait lex: „φαρμάκων, ἐάν τις ἀποκτείνῃ δούς“, nisi quis quem sua ipsius manu occiderit, prorsus institui non potest [3]. Noverca autem non ipsa poculum marito dederat exhauriendum, sed paelicis usa erat opera. Quam sententiam Blassius ipse in altera Antiphontis editione comprobat [4]) recteque adfirmat iudicium de his causis non in Areo pago exercitatum esse, sed in Palladio, ubi ephetae [5], non heliastae, quae Blassii est opinio, tum iudices sedebant. Accedit, quod in hac oratione iudices semper fere [6], id quod Philippius l. c. p. 40 docuit, ὦ ἄνδρες, appellantur; in omnibus enim orationibus apud Areum pagum dictis iudices verbis: ὦ βουλή [7] salutatos esse constat. Fraenkelius autem in libro, qui inscribitur: „Die attischen Geschwornengerichte, Berlin, 1877,“ num heliastae, quibus ille ceterum amplius munus, quam alii, qui de iisdem rebus scripserunt, attribuit, illis temporibus iam supplicium decernere potuerint, in medio relinquit. Sed haec hactenus.

Iam ad orationem ipsam pertractandam adgrediamur. Quam Meier [8], Schoemannus [9], Maetzner [10] exercitationis gratia conscriptam esse putaverunt, quales tetralogiae erant, quas ad discipulos exercendos in lucem emissas esse scimus. Cuius opinionis argumenta iam Frankius [11] refellit. Item hanc sententiam Ottsenius [12] diluit et falsam esse docuit. Blassius ipse [13] huius rei argumenta a Maetznero, quocum Schmittius [14] consentit, allata vere dicta esse negans monet multum interesse inter hanc orationem et tetralogias; argumenta enim, quibus exerceri oratorem oporteat, in illa deesse; cur autem narratio in oratione, quae discipulis exercendis inserviat, accuratissima tractata sit diligentia, causam esse nullam [15]. Quod Maetzner [16], ex Clytaemestrae et Philonei nominibus hanc elici posse arbitratur orationem non in iudicum consessu haberi potuisse subtilius mihi videtur esse, quam ut refutetur; nam hac ex re pari modo ipsum contrarium deduci posse luce ipsa clarius

---

1) Attische Beredsamkeit. S. 177. Cf. Meier und Schömann, attisch. Process, S. 311. — 2) Cf. l. c. Addenda et corrigenda, p. 282. — 3) Philippi a. a. O. S. 39, 41, 51. — 4) Cf. edit. alteram, p. XLV. — 5) Maetzner l. c. p. 282; Philippi a. a. O., p. 41—51, 319 ff. — 6) Verba enim: *ὦ δικάζοντες*, §. 7, quae iam Maetzner (p. 125), ut aliud quidem demonstraret, inquinata esse docuit et Kayser (Rhein. Mus. 16, 1861, S. 71) in *ὦ δ' εἰκάζοντι* mutari voluit, Blassius iure ab interpolatore quodam profecta esse arbitratus est. Cf. P. Graffunderum: De Cripsiano et Oxoniensi Antiph. .... codic. Diss. Berol. 1882, p. 19. — 7) Cf. Philippium l. c. p. 33. — 8) De bonis damn. p. 20. — 9) Meier und Schömann, attischer Process, S. 311. — 10) l. c. p. 125. — 11) Jahn'sche Jahrbb. 28, S. 52. — 12) De rerum inventione et dispositione, quae est in Lysia et Antiphonte. Progr. Flensburg, 1847. Huius libellum, quem ut inspicerem, mihi non contigit, in Blassii libro commemoratum inveni. — 13) A. a. O. S. 180 ff. — 14) L. c. p. 5. — 15) Cf. Hoppium l. c. p. 17. Philippium S. 40. — 16) L. c. p. 125.

est [1]). Contra Schmittius [2]) recte quidem ex huius orationis initio (§. 1) et paragrapho 30 concludi posse censet accusatori differendam fuisse accusationem, donec in civitatem receptus esset, id quod ante duodevicesimum aetatis annum fieri non potuit [3]). Cum autem filius natu maximus, frater germanus eius, qui diem dixerat novercae, matris defensionem suscepisset itaque pleno iam civium iure frueretur, ad eos annos, qui iam lapsi erant, alii, ut ait Schmittius, accederent necesse erat, priusquam is, qui novercam ream faciebat, litem ei intendere posset; neque credi posse filium, cum a patre moriente ab interfectoribus poenas repetere iussus esset, tam diu accusationem distulisse. Sed ex his Schmittii conclusionibus eam tantummodo recte se habere concedamus, ex qua patronum quoque reae civitati adscriptum fuisse necesse erat; ipsum vero iam sui iuris factum esse Hoppius [4]) ex oratione ipsa, ubi in §. 1: . . . . τοῦτο δὲ εἰ ἐπεξιόντι ἀναγκαίως ἔχει, οἷς ἥκιστα ἐχρῆν ἐν διαφορᾷ καταστῆναι ἀ δ ε λ φ ο ῖ ς ὁ μ ο π α τ ρ ί ο ι ς καὶ μητρὶ ἀδελφῶν scriptum videmus, conclusit, aliter novercam sibi alium patronum capturam fuisse. Quid, frater ex eodem cum actore patre natus nonne potuit ante genitus esse, quam pater matrem eius in matrimonium duxit ita, ut liberorum vel maximus natu fuerit? Quod ex ipsa oratione nobis aeque colligere licere ducimus ac Schmittius eum, qui suam matrem defendebat, natu minorem fuisse coniecit.

Neque dubito, quin illis temporibus, quibus ars patroni magis magisque crescere coeperat, Antipho causam aliquam fingere studuerit, qua artem suam declararet, itaque aliis, quia pro orationibus in aliorum usum conscriptis pecuniam accipiebat, expetendam redderet, quamquam hoc hac in re fieri potuisse Blassius recte negat [5]). Quae porro Schmittius [6]) contra dixit hanc orationem apud iudices non habitam esse, quod multa et ea narranda nusquam commemorarentur, nonnulla autem vix, quae memorarentur, digna copiose exponerentur quodque plurimum inter hanc et inter orationes quintam et sextam, quae apud iudices habebantur, interesset, praeterea in oratione inessent, quae iis temporibus, quibus Antipho floreret, in usu non fuissent — id quod prorsus nullius ponderis esse equidem dixerim — ea suo quidque loco refellentur.

Ceterum hoc pro certo adfirmari licet argumenta a Maetznero et Schmittio allata non eius modi esse, ut in eadem simus cum illis doctis viris sententia. — Quod si Schoellii sententiam, de qua supra diximus, cum ab eo ipso nequaquam plana facta atque probata sit, omiserimus et dixerimus, quanto opere fluctuet Blassius, qui in Antiphontis editione anno 1871 in lucem emissa scribit p. XXXII: ***ceterum oratio multis in partibus rudior, num ab Antiphonte profecta sit, iure dubitatur,*** in editione altera, quae decem annis post prodiit, dubitationem illam caute in exiguum angustumque

---

[1]) Kirchneri l. c. p. 16 iudicium per se rectissimum in tetralogiis nomina eorum, qui interfecti sunt, non inveniri cum hac oratione nullo pacto consociandum esse nemo non videt. — [2]) L. c. p. 5—6. — [3]) Meier und Schömann, attischer Process. S. 555, 562. — [4]) L. c. p. 18. — [5]) Cf. a. a. O. S. 181. — [6]) Cf. l. c. p. 6.

concludit dicens p. XLV: *ceterum .... a quibusdam dubitatur,* restat, ut nullam aliam adferamus sententiam nisi a Schmittio et Pahlio defensam orationem omnino non esse Antiphonteam.

Qui, quod tendunt, fulciunt et locis orationis quibusdam et rebus, quae in oratione insunt, inter se repugnantibus neque minus ea re, quod eadem saepius iterantur atque inveniuntur sermonis vitia insolitaque verba. Nec rationem ineunt, quomodo res ab oratore pertractatae sint, nec quo nihil pluris esse primum Maetzner, tum et Spengelius et Blassius et Hoppius demonstraverunt, hanc orationem cum orationibus quinta et sexta comparant. — Sed quamvis non multa, quae Antipho scripsisse perhibetur, ad hanc aetatem pervenerint nec tetralogiae, quae exercitationi quidem soli inserviunt, oratoris autem ingenium et rationem, quam ingressus est, facillime perspici sinunt [1]), comparandae sint, tamen ex similitudinibus, quae orationi primae cum orationibus quinta et sexta sunt, quarum altera, quintam dico, propter orationis sententias atque elegantiam Antiphontis facultatem oratoriam certissime metimur [2]), altera, quae περὶ τοῦ χορευτοῦ inscribitur, propter similem causam, ut cum oratione prima conferatur, postulatur, gravissimas deduci posse conclusiones neminem praetereat.

Omni autem, ut mea quidem est opinio, fundamento argumentum, cur haec oratio ab Antiphonte abiudicanda sit, caret hoc, quod ea nullo loco a veteribus scriptoribus commemoratur [3]), cum vel orationum, quae perierunt, vocabula laudentur [4]). Contra Maetzner [5]) scriptorum veterum silentio non movetur nec Pahlius, censor ille huius orationis acerrimus, huic rei momenti quidquam attribuit [6]). Veteres utique grammatici et lexicographi in hac oratione brevissima nihil reppererunt, quod commemorandum esset, itaque hanc facile silentio praeterierunt.

Deinde Schmittio [7]) verba displicent §. 17 ita, ut miretur, quid paelici deliberatione, utrum venenum ante cenam det an post, opus sit, cum vim potionis, quod ex verbis §. 19 coici possit, nondum noverit; atque ex verbis: μετὰ δεῖπνον δοῦναι τῆς Κλυταιμνήστρας τῆς τούτου μητρὸς ὑποθήκαις ἅμα διακονοῦσαν (§. 17) effici, ut noverca paelicem post cenam venenum infundere iusserit. Quam rem ita se habere perspicuum est, nam hoc modo eius rei, quam novercae promiserat, fidem praestitit: ἠρώτα οὖν αὐτήν, εἰ ἐθελήσοι διακονῆσαί οἱ, καὶ ἡ ὑπέσχετο ὡς τάχιστα, οἶμαι (§. 16). Cur autem paelici semet ipsam in consilium adhibere non licuit, quae id inprimis egit, ut Philonei, qui eam in lupanari collocaturus erat [8]), in ipsam amor denuo incenderetur, id quod prospere cessurum esse noverca pollicita erat? [9]) — Dare venenum iam ante ei certum deliberatumque fuit, hoc vero secum reputavit, utrum ante cenam an post viro potionem porrigeret, et consilium cepit veneni post cenam, cum diis libarent, sicuti noverca ei praeceperat, porri-

---

[1]) Cf. Kaiserum, Rhein. Mus. N. F. Bd. 11, S. 68 ff., und Bd. 12, S. 244 ff. — [2]) Nicolai, griech. Lit. S. 360. — [3]) Cf. Schmittium l. c. p. 6. — [4]) Blassius a. a. O. S. 93, or. XXVI., XXVII., XXIX. — [5]) Cf. l. c. p. 126. — [6]) Cf. a. a. O. S. 13. — [7]) Cf. l. c. p. 10. sq. — [8]) Or. §. 14. — [9]) Or. §. 15.

gendi. Itaque ut minus, si venenum infunderet, libantibus in suspicionem incideret, non autem, id quod Hoppius [1]) censet, ut consilii sui quam celerrime efficiendi rationem inveniret, secum considerasse mihi quidem videtur. Vides Philoneo plus veneni eam dedisse, quod et melius fore et maiorem habiturum vim speravit [2]). Neque idcirco, quod accusatoris patri minorem amatoriae potionis partem quam Philoneo dederat, paelicem, ut Schmittius [3]) adfirmat, praeceptum novercae secutam non esse credamus oportet. Quae etsi Philoneo plus dedit, tamen Philonei amico non potuit non dare partem a noverca sibi imperatam; verba enim §. 19: τῷ δὲ πατρὶ τῷ ἡμετέρῳ ἔλασσον ἐνέχει id tantummodo continent paelicem patri minorem quam Philoneo partem infudisse. Paelicis autem id inprimis interfuisse, ut in hoc efficax esset potio, nemo non videt.

Ceterum nescio, an noverca marito suo vim veneni tantam attribuerit, ut res ex sua sententia succederet, etiamsi forte paelex neglegenter rem mandatam gereret. Neque ex verbis §. 15: ἔλεξεν αὐτῇ, ὅτι καὶ αὐτὴ ἀδικοῖτο ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἡμετέρου · εἰ οὖν . . . . καὶ αὐτῇ τὸν ἐμὸν πατέρα . . . . . . sequitur, ut uxor re vera amorem mariti spectaverit [4]), quod verba §. 9 eam saepius vitae mariti insidiatam esse tradunt. Veram scilicet causam paelici neque adferre nec, quomodo inter ipsam et maritum conveniret, cum illa communicare potuit, sed alio argumento uteretur oportebat. Quid vero aptius erat quam simulare illa potione se efficere velle, ut et ipsa a marito iterum amaretur et illa a Philoneo? Quare in hac orationis parte non inveniuntur, quae supervacanea sint aut inter se repugnent [5]). — Neque difficilius verba §. 17: πότερα πρὸ δείπνου ἢ ἀπὸ δείπνου, quae Schmittius [6]) moribus veterum Graecorum nequaquam respondere dixit, expediuntur. Nam quo tempore venenum infusum, non, quando exhaustum sit, agitur. Atque etiamsi paelex venenum ante cenam infudisset, uterque vir tamen post cenam demum bibisset, neque ulla causa subest, cur ex his verbis coiciamus eum, qui hanc orationem elaboraverit, vixisse Graecia sub potestatem redacta Romanorum. — Qua in re facere non possum, quin verba adferam Pahlii, qui ex verbis §. 19, cum Philoneus in Piraeeo habitare solitus sit, ibidem paelicem domicilium habuisse existimandam esse concludit ad verba nos relegans oratoris, qui eam matrem ex urbe arcessentem faciat. Quod verbis §. 17, unde appareat eam Philoneum comitatam esse in Piraeeum ad sacra facienda, repugnare [7]). Sed Pahlius totum locum in §. 15: αἰσθομένη δ'ὅτι ἀδικεῖσθαι ἔμελλεν ὑπὸ τοῦ Φιλόνεω, μεταπέμπεται male interpretatus est. Non enim paelex novercam arcessit, sed ipsa arcessitur a noverca, unde minime concludi potest, ubi paelici domicilium fuerit, quam, cum Philoneus in lustrum mittere decrevisset, apud Philoneum non fuisse colligere possumus [8]).

---

[1]) Cf. l. c. p. 20. — [2]) Cf. in §. 19: *καὶ ἅμα οἰομένη δεξιὸν ποιεῖν, πλέον δίδωσι τῷ Φιλόνεῳ, ὡς εἰ δοίη πλέον, μᾶλλον φιλησομένη ὑπὸ τοῦ Φιλόνεω.* — [3]) Cf. l. c. p. 11. — [4]) Cf. Schmittium l. c. p. 11. — [5]) Cf. Hartmanum l. c. p. 32 sq. — [6]) Cf. l. c. p. 11. — [7]) Cf. l. c. p. 13. — [8]) Cf. Hoppium l. c. p. 17 sq.

Quodsi Maetzner [1]) et Schmittius [2]) verbis offenduntur §. 20 eam, quae sceleri perpetrando manum praebuerit, morte adfectam esse neque verba τροχισθεῖσα παρεδόθη apte quadrare, primum respicias velim paelicem fuisse peregrinam ac servam, in quam gravissime statuebatur nulla habita ratione legum earum, quibus utebantur in cives, nec discrimine facto, utrum ab serva tali iustae poenae expeterentur necne [3]). Accedit, quod hunc locum, de quo diximus, in suspicionem vocarunt atque varie emendare studuerunt Maetzner [4]), Weidner [5]), Sauppius [6]), omnium, qui in oratoribus Atticis versabantur, procul dubio princeps, cuius sententiam probat Frankius [7]), quem sequitur Blassius [8]). Qui omnes paelicem tormentis excruciatam et occisam esse consentiunt. Neque ab his dissidet Fuhr, quem secutus est Blassius in editione Antiphontis altera, qui verbo τροχισθεῖσα vi attributa τοῦ βασανισθεῖσα omni se supersedere coniectura posse arbitratur [9]).

Apud iudices vero paelicis testimonia nullam vim habebant. Contra quam, etsi culpam a se amovebat, res ipsa apud iudices locuta est; nam Philoneus, quocum simultates gesserat, sublatus erat neque quisquam tum novercae nomen detulerat. Itaque iudices Philoneum ab illa non interfectum esse suspicari non potuerunt [10]). Hoppius autem, qui iudices suspicionem habuisse contendit idcirco paelicem Philoneum sacrificii demum occasione oblata interfecisse, ut a suspicione quam longissime esset remota, haud recte iudicet [11]). Nam quomodo paelex id, quod voluit, consequi potuit, praesertim cum nemo praeter accusatoris patrem adesset?

Idem in errore versatur adfirmans iudices credere debuisse ab ea amicum quoque Philonei, qui nullam ei iniuriam intulisset, ne ipsius nomen deferret, necatum esse. Tunc enim paelex de nece Philonei amici nondum rea facta esse potuit, quod ille demum post morbum viginti dierum mortuus [12]), paelex autem actione, quam ἀπαγωγὴν appellabant Graeci, statim in ius rapta est. — Ei vero, qui accusatoris partes obtinet, quaesita, quibus credatur, digna sunt paelicis, quam, cum extra culpam esse confidat [13]), in errorem inductam esse iudicat [14]). Accedit, quod a patre morbo iam implicato de re, quae facta erat, doctus novercam ulcisci iussus est [15]). Eidem pater novercam iam ante saepius se veneno interimere studuisse dixit, quamvis illa sese remedium amatorium defendendi causa dedisse adfirmaret [16]). Ille igitur, etiamsi indiciis paelicis, cui causa non erat, cur novercae maritum de medio tolleret, fidem non habuisset, ex verbis tamen patris, quae cum illius testimonio consentiebant, vel minimam abiecisset suspicionem. — Qui eo tempore, cum accusationem

---

[1]) Cf. l. c. p. 141. — [2]) Cf. l. c. p. 12. — [3]) Cf. Philippium a. a. O. S. 38, 51. — [4]) Cf. l. c. p. 41: *προδοθεῖσα ἐτροχίσθη*. — [5]) Philolog. Anzeiger 1878, S. 100: *τῷ γὰρ δημοκοίνῳ τροχισθεῖσα ἐπὶ θανάτῳ παρεδόθη*. — [6]) Quaestiones Antiphonteae, Gottingae 1861: *τροχισθῆναι παρεδόθη*. — [7]) Jahn'sche Jahrbb. 28, S. 68. — [8]) Cf. Antiph. editionem priorem. — [9]) Animadversiones in oratores Atticos. Diss. Bonn. 1877, S. 25. — [10]) Cf. Hoppium l. l. p. 21. — [11]) Cf. l. c. p. 11. — [12]) Cf. or. §. 20. — [13]) Cf. or. §. 20: *οὐδὲν αἰτία οὖσα κτλ.* — [14]) Cf. or. §. 19: *οὔπω γὰρ ᾔδει ὑπὸ τῆς μητρυιᾶς τῆς ἐμῆς ἐξαπατωμένη, πρὶν ἐν τῷ κακῷ ἤδη ἦν.* — [15]) Cf. or. §. 20: *ἃ κἀμοὶ παιδὶ ὄντι ὁ πατὴρ τὴν ἀθλίαν καὶ τελευταίαν νόσον νοσῶν ἐπέσκηπτεν .... κἀκεῖνος ἐμοὶ νέῳ ἔτι ὄντι ταῦτα ἐδήλωσε καὶ ἐπέστειλεν κτλ.* — [16]) Cf. or. §§. 3 et 9.

adornabat, se a patre et paelice de rebus gestis certiorem esse factum indicasse videtur, et Schmittius [1]) et Pahlius [2]) et Blassius [3]) iniuste faciunt, qui, quod nullo loco, unde ille singula compererit, narretur, oratori vitio vertant. — Quare, cum alios adhibere testes nequiverit, ad illam spectat accusationem solam [4]). Neque igitur ullius momenti esse potest, quod Blassius ante orationem habitam testes adhibitos esse vult, id quod in tetralogia III^a, 7 factum est, qui de morte patris et de eius mandatis indicarent, cum nihil scire possent [5]).

Ceterum accusator argumentis, quaecumque adferre potest, callidissime utitur. Patrem dicentem audivit servos posse confirmare novercam iam antea saepius sui occidendi consilia inisse [6]). Postulavit igitur, ut ex servis adversarii tormentis quaereretur. Unde fore exspectavit, ut servi aut confirmarent aut inter quaerendum negarent. Qui si indicium non professi essent, tum vero ille causam perdidit. Iam accidit, ut novercae defensor servos torqueri nolit. Nonne igitur sequitur, ut novercae filius indicia servorum, quae semper maximi erant momenti, metuat [7])? Neque prorsus veri simile est novercam pristina consilia sua mariti veneno interficiendi cum servis communicasse [8]). Et quamquam scientem et sua sponte novercam nihil prodidisse in aperto est, tamen fieri potuit, ut servi aliqua via de iis rebus certiores facti in quaestione ea, quae cognoverant, enuntiarent. Quod adversarium, ne accideret, pertimuisse apparet. Unde certa coniectura huius caedis auctoris capi et actor hoc argumento ἐξ εἰκότων in novercam uti potuit; hoc enim εἰκός, ut ita dicam, summae auctoritatis erat [9]). Detrectatam vero ab adversario servorum quaestionem summo iure in suum usum convertere poterat accusator. Quid mirum, quod hic narratione absoluta praeter Antiphontis consuetudinem argumentorum vice, in quibus reperiendis facultatem aliis locis hic orator exhibet summam, partim summo colore illustrando et oculis paene subiciendo scelus a noverca commissam, partim suae et illius rationis contentione et comparatione quadam iudicum animos movere vult [10])? Quid autem poterat habere vim maiorem ad causam obtinendam, quam exprimere verbis, quanto opere contra naturam frater germanus se gereret, qui eam defenderet, quae in maximam suspicionem se maritum interemisse veneno inciderat? Quo magis igitur ipse novercam non innoxiam rei capitalis argui confidebat, eo se suam accusationem certius veram esse iudicibus credebat esse persuasurum. Quae cum perpendero, tantum abest, ut cum Blassio [11]) oratori crimini ducam, quod

---

[1]) Cf. l. c. p. 11. — [2]) Cf. a. a. O. S. 13. — [3]) Cf. a. a. O. S. 181. — [4]) Cf. or. §. 2: *ὡς καὶ ἐγὼ καὶ ἡ γραφὴ λέγει.* Vide Hoppium l. c. p. 22. — [5]) Cf. or. §. 30: *κἀκεῖνος ἐμοὶ νέῳ ἔτι ὄντι ταῦτα ἐδήλωσε καὶ ἐπέστειλεν, ὦ ἄνδρες, οὐ τοῖς ἑαυτοῦ δούλοις.* — [6]) Cf. or. §. 9. — [7]) Pahlius l. c. p. 13 verba §§. 5—13 discrepare contendit. Primum quidem servos caedis, de qua agitur, conscios esse nos credere, deinde ex verbis §. 9 intellegi illos tantum de pristinis caedis consiliis accuratius doctos esse neque eo secius postea eum, qui orationem habet, perinde agere, ac si servi de hac ipsa caede indicia dare potuissent. Verum ista repugnantia expedientur, si Pahlio diligentius, quomodo accusator novercam in culpa esse planum fecerit, persecuti erimus. Cf. id, quod dicit Hoppius l. c. p. 22. — [8]) Cf. or. §. 28. — [9]) Kayser, Rhein. Mus. N. F. Jahrg. 12. S, 224 ff. — [10]) Cf. or, §§. 21—30. — [11]) Cf. a. a. O. S. 181 ff.

rationes firmas, quas, ut causa erat comparata, adferre non potuit, non attulerit, ut cum Lindero [1]), qui orationem egregie disposuit, in hac argumentationi, quippe quae in extremo exordio plane confecta sit, locum sumam esse posse omnino nullum. Recte igitur Anaximenes (p. 221, 10 sqq., 231, 23) hoc loco nihil sequi posse existimat nisi τὴν δικαιολογίαν, quae vocatur, quam purgationem esse interpretamur, quod actor causam patris contra adversarium fratrem germanum defendat. Sed audiamus Linderum ipsum loquentem: „Ac sequitur προκατάληψις sive τὰ πρὸς τὸν ἀντίδικον (Anax. p. 223, 25 sq.), quae tamen hac in oratione ita ad δικαιολογίας similitudinem accesserunt, ut simul et αὔξησιν ét ταπείνωσιν (Anax. 231, 27 sqq.) et argumenta ἐκ τοῦ δικαίου petita continerent (§§. 21—27)". — Quae sententia Linderi, qua nobis, quam accurate Antipho artem oratoriam rei propositae accommodaverit, demonstretur, plurimi ducenda est.

Inter omnes autem doctos, qui ad id tempus in hac oratione industriam suam ponebant, Hoppius [2]) primus animos legentium ad rem satis gravem, ut mihi quidem videtur, convertit. Is enim, quem Antipho orationem in novercam habentem facit, νέος est καὶ ἄπειρος δικῶν ἔτι [3]). Itaque et oratio aetati talis oratoris par esse debuit, ut neque artibus patroni neque iuris consultorum distinctionibus instructus sit, sed genere dicendi tenui utatur spreta et sermonis pulchritudine ac structura verborum hacque ratione iudicibus a noverca patrem suum interfectum esse se persuasurum esse speret. Quam ob rem ineleganter interdum sententias disponit saepiusque redintegrat et nonnunquam verbis utitur obsoletis. Haec omnia respiciens Maetzner tamen orationem ab Antiphonte abiudicare ausus non est. Ii soli, qui postea de Antiphontis scriptis disputaverunt, inprimis propter hanc nimiam earundem sententiarum assiduitatem orationem falsam esse dixerunt. At istae iterationes exceptis duabus in §. 7: πῶς οὖν περὶ τούτων ..... οὐκ εἴληφε et in §. 12: εἰ γὰρ τούτων θελόντων διδόναι ..... μὴ ἠθέλησαν δοῦναι, quas Blassius et Hoppius iure interpolatas esse dicunt [4]), minus habent offensionis, quam quisquam putaverit. Accusator enim novercae dicit eos, quos sibi in causa fore adiutores sperare deberet, se accusare cogi. Vide in §. 2: οὓς εἰκὸς ἦν ...... καθεστᾶσιν ἀντίδικοι καὶ φονεῖς et in §. 4: οὓς γὰρ ἐχρῆν .... ἐμοὶ δ' ἀντίδικοι καθεστᾶσι. — Idem se mirari dicit, quod frater pium esse arbitratus sit efficere, ne mater damnetur. Quam admirationem ut quam apertissime exprimat, eandem sententiam, quam in §. 5 invenimus, in §. 28 iterat. A matre, pro qua filius, ut sceleris absolvatur, roget, quacumque condicione poenam repetendam esse: eam enim foedissimum scelus commisisse nec dignam esse, cuius quemquam misereat, quippe quam patris non miseruerit. — Nec miraberis, quod has sententias accusator in §§. 21—24, 25—27 genere dicendi quam minime mutato repetit, dummodo actorem magnitudine sceleris permotum nec, quin noverca caedis princeps fuerit, dubium velle efficere

---

[1]) Linder: De rerum dispositione apud Antiphontem et Andocidem, oratores Atticos, commentatio. Upsal. 1859, p. 24. Cf. etiam Hoppium l. c. p. 23. — [2]) Cf. l. c. p. 23. — [3]) Cf. or. §. 1. — [4]) Schmittio locis, de quibus commemoravi, nulla suspicio subesse videtur.

tecum reputaveris, ut et iudices idem sentiant, praesertim cum, qua erat adulescentia et rerum forensium imperitia, aliam rationem inire non potuerit. Et quamquam eum nonnunquam studuisse easdem figuras eademque verba evitare videmus, tamen facere non potest, quin id, quod vitare vult, faciat[1]). Velut in §. 1, ne longus sim, scriptum videmus: δεινῶς δὲ καὶ ἀπόρως ἔχει et ἀναγκαίως ἔχει; ibidem ἐν διαφορᾷ καταστῆναι et in §. 2: τὸν ἀγῶνα καταστῆναι; in §. 2: οὗτοι καθεστᾶσιν ἀντίδικοι καὶ φονῆς et in §. 4: οὗτοι.... φονῆς γεγένηνται, ἐμοὶ δ'ἀντίδικοι καθεστᾶσιν; in §. 3: ληφθεῖσαν ..... ἐπ' αὐτοφώρῳ.... et in §. 9: εἰληφότα ἐπ' αὐτοφώρῳ.... in §. 17: ἀπὸ δείπνου, ibid. eadem vi adhibitum: μετὰ δεῖπνον; in §. 19: οὔπω γὰρ.... πρὶν ἐν τῷ κακῷ ἤδη ἦν et in §. 29: οὐδὲν ἴσασι πρίν γ' ἤδη ἐν αὐτῷ ὦσι τῷ κακῷ, alia.— Idem vocabulo ἐπεξιέναι ter utitur in §§. 1—2; in §§. 1—5 quinquies καθιστάναι[2]); verbum προθυμεῖσθαι bis invenitur in §. 6; ὡς ἔνοχοί εἰσι τῷ φόνῳ in §. 11; ibidem ὡς εἰσὶν ἔνοχοι τῷ φόνῳ; vox δεῖπνον in §. 17 ter exstat; in §. 18 verbum διηγήσασθαι legitur paucis tantummodo verbis interpositis iteratum; οἷον εἰκὸς in §§. 17—18 bis usurpatur et δίκην δοῦναι in §§. 23—25 sexies; in §. 25 ὑπό τε ὑμῶν καὶ τοῦ δικαίου ponitur et in §. 27: ὑφ' ὑμῶν καὶ τοῦ δικαίου, cum in §. 4: πρὸς ὑμᾶς καὶ τὸ δίκαιον reperiatur, alia.

Quae sententiarum figurarumque iterationes dubitari quidem nequit, quin duritiem quandam demonstrent sermonis, tamen haud scio, an Antipho illis, in quibus propter orationis brevitatem offendimus, sciens, ut adulescentiam actoris significet, usus sit. Cum autem illae iis ipsis locis orationum quintae et sextae, ubi eas vitare facile erat, inveniantur, non solum non mirae sunt, sed etiam argumenti loco esse possunt primam orationem esse Antiphontis. Velut in orat. V. §. 2: κακοπαθεῖν τῷ σώματι; §. 18: κακοπαθεῖν τῷ σώματι et διὰ τὴν τοῦ σώματος κακοπάθειαν scriptum videmus; in §. 12: αὐτὸς σεαυτῷ νόμους ἐξευρών; in §. 13: αὐτὸς σαυτῷ νόμον θέμενος; ibidem: ἅπασι γὰρ τοῦτο κοινόν ἐστι et σὺ δέ, ὃ τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι κοινόν ἐστιν; in §. 19: πλοῦν ἐποιησάμην et ἐν τῷ πλοίῳ πλέων exstat; in §. 21: τὸν πλοῦν πεποιημένος, in §. 22: τὸν πλοῦν ποιησάμενος invenitur; in §. 38: αὐτοῖς ἂν τούτοις ἰσχυροτάτοις εἰς τὰ πράγματα ἐχρῶντο, ibid.: καὶ ἦν αὐτοῖς μέγιστα τεκμήρια κατ' ἐμοῦ; in §. 42: ὁ ἐν τῷ αὐτῷ πλοίῳ πλέων καὶ παρὼν διὰ τέλους καὶ συνών μοι; in §. 45: ἐντιθεμένου δὲ εἰς τὸ πλοῖον et iterum: ἐντιθεμένου εἰς τὸ πλοῖον leguntur. Iterum vero et saepius in hac oratione reus queritur, quod servus ab accusatoribus testimonio suo ad se condemnandum coactus ab illis tamen de medio sublatus sit. Cf. in §. 34: ἀλλ' ἀπέκτειναν ἄγοντες τὸν ἄνδρα ..... ἀπέδοσαν; in §. 36: ἐχρῆν μὲν γὰρ ...... μὴ ἀποκτεῖναι; in §. 38: αὐτοὶ δὲ οὗτοι οἱ ἀπάγοντες .... ἠφάνισαν; in §. 46: ὃ δὲ καὶ μάλιστα ἐνθυμεῖσθε ......, quibus verbis iudices orat, ne aegre ferant, quod eos saepius de eadem re moneat: ἂν ὑμᾶς πολλάκις ταὐτὰ διδάξω; ibid.: ὅτι τὸν μηνυτὴν ἀπέκτειναν, alia.

Idem saepius adfirmat se liberi hominis testimonio semper liberatum esse. Cf. in §. 30: οὗτος μὲν οὐδὲν εἶπε περὶ ἐμοῦ φλαῦρον; in §. 42: διὰ τέλους

---

[1]) Blassius a. a. O. S. 182. — [2]) Morawsky: Zeitschr. f. die österr. Gymnasien, 30. Jahrg. S. 165.

γάρ με ἀπέλυε; in §. 49: ὁ δὲ ἐλεύθερος οὐδέπω νῦν εἴρηκε περὶ ἐμοῦ φλαῦρον οὐδέν; in §. 51: ὁ δὲ διὰ τέλους ἔξαρνος ἦν κτλ. Atque in extrema oratione orator iudices admonere non desinit, ut se tum liberent, alio tempore futurum, si oporteat, accusationi obnoxium. Melius esse per errorem liberare reum aliquem quam iniuria condemnare; errori corrigendo remedium inveniri, adversus causam iudicatam remedium nullum esse; quare in aliam causam differendam rem esse[1]). — Age vero in §. 5 eiusdem orationis verbum ἁμαρτάνειν quater legitur et hic ibidem διὰ ῥήματα paucis verbis interpositis sequi iubentur; in §§. 9 et 10 verba ὁ νόμος κεῖται quater inveniuntur; simili modo in §. 12 ἀνώμοτος ter, καταμαρτυρεῖν bis exstant; in §§. 14 et 15 verba νόμοι κεῖνται, quibus vel καλῶς vel κάλλιστα adiunguntur, quinquies insunt; in §. 17 bis ἐγγυητάς, in §§. 21—24 vocabulum πλοῦς—semel σύμπλουν ponitur—quinquies, πλοῖον, quod substantivum locis §§. 27—28 sexies exstat, septies scribitur; in §. 27 ἐν τῷ λιμένι καὶ ἄπωθεν τοῦ λιμένος, in §. 28 ἐξ αὐτοῦ τοῦ λιμένος invenimus; in §. 27 ὡς οὐκ ἐξέβην ἐκ τοῦ πλοίου et ὡς μάλιστα ἐξέβην ἐκ τοῦ πλοίου ponitur; in §§. 32—33 verbum καταψεύδεσθαι quater, §. 38 verbum ἀφανίζειν ter videmus; in §. 42 repetitur διὰ τέλους alterum excipiens; in §. 45 ter πλοῖον bis νύκτωρ, bis ἐντιθεμένου leguntur; in §§. 53—56 undecies verbum γραμματείδιον exstat; in §. 57 οὐδὲ γὰρ ἔχθρα οὐδεμία ἦν ἐμοὶ κἀκείνῳ, quae verba in fine paragraphi ἐμοὶ δὲ κἀκείνῳ οὐκ ἦν ἔχθρα οὐδεμία sequuntur; in §. 62 bis ἀπεστέρει, in §. 65 ter ἐργάζομαι scripta sunt; in §. 68 ter verborum tantum ordine inverso Ἐφιάλτην οἱ ἀποκτείναντες invenimus; in §. 74 ἐγὼ δὲ πολλῷ νεώτερος, in §. 75 ὧν ἐγὼ πολλῷ νεώτερός εἰμι, in §. 79 νεώτερος δ'ἐγὼ πολλῷ auctor ponit; in §. 80 ἀλλ' ὑμεῖς βοηθήσατέ μοι et in extrema paragrapho ὑμεῖς οὖν ἐμοί τε βοηθεῖτε καὶ τῷ δικαίῳ; in §. 85 verbum ἀγὼν quater, in §§. 88—89 ὀρθῶς γιγνώσκεσθε — ὀρθῶς γνωσθέντα — μὴ ὀρθῶς αἰτιάσασθαι — μὴ ὀρθῶς γνῶναι — μὴ ὀρθῶς γνῶτε — ὀρθῶς δικάσαιτε ponuntur, in §. 92 bis ἀκούσιος, ter ἑκούσιος, in §. 93 ter ξυνειδέναι exstant. — Nec rarius in oratione sexta sententiarum iterationes genere dicendi parum mutato deprehenduntur. Velut in §. 2: νόμους, οἳ κεῖνται . . . . κάλλιστα νόμων κεῖσθαι et paulo infra: νόμων καλῶς κειμένων, ibidem: ὑπάρχει μὲν γὰρ αὐτοῖς ἀρχαιοτάτοις εἶναι et ἔπειτα τοὺς αὐτοὺς ἀεὶ περὶ τῶν αὐτῶν leguntur; in §. 4: ἅπερ μέγιστα καὶ παλαιότατα τοῖς ἀνθρώποις et in §. 5: ὅπερ μέγιστόν ἐστι τοῖς ἀνθρώποις ἀγαθὸν scribuntur; in §. 6: ὀρθῶς γιγνώσκεσθαι. . . . . . . ἀπολύσαιτο orator iisdem sententiis verborumque compositionibus atque in or. V. §§. 88—89 utitur; in §. 11: ὡς ἄριστα ἐδυνάμην καὶ δικαιότατα et ib. ὡς ἐδυνάμην ἄριστα exstant; in §. 15 reus dicit se scelus non commisisse argumentis confirmaturum esse, et in §. 17 idem iisdem verbis reddit; in §. 19: ἐναντίον μαρτύρων πολλῶν . . . . . δούλων, quam sententiam in §§. 22 et 25 reperimus; in §. 25: ὅτι αἱ ἀνάγκαι αὗται ἰσχυρόταται καὶ μέγισται, deinde: ἡ γὰρ παροῦσα ἀνάγκη ἑκάστῳ ἰσχυροτέρα; in §. 34: προαγορεύειν εἴργεσθαι τῶν νομίμων; in §. 35: προαγορεύειν ἐμοὶ εἴργεσθαι τῶν νομίμων; in §. 36: εἴργεσθαι τῶν νομίμων et εἰργόμενος τῶν νομίμων leguntur; in §. 42: οὔτε παραδοῦναι . . . . . ἔξεστιν; οὐδὲ παρέδωκεν οὐδεὶς . . . ., μήτε παρά-

[1]) Vide Hoppium l. c. p. 25 et quae ille huic rei exempla adiungit.

δοῦναι ἐξῆν αὐτῷ; in §. 44: ἐξὸν αὐτοῖς .... ἀπεγράψαντο scriptum videmus; in §. 49: οὗτοι γὰρ ποίαν δίκην ..... παραβαίνειν, οἵτινες, quae sententia iisdem verbis continetur in §. 51, nisi cum Philippio [1]) verba: οὕτως αὐτοῖς πέπρακται τὰ πράγματα finem dicendi fecisse velis, quamquam hac de re nobis infra erit dicendum. Neque nos eiusdem verbi repetitiones effugiunt. Velut legitur in §. 1 εὔχεσθαι bis, in §. 3 ter κεῖσθαι, in §. 9 quinquies πόλις, in §. 11 ἐχορήγουν bis, in §. 12 ter ἐπιμελεῖσθαι; in §. 19 bis πράσσω; in §. 25 ἀνάγκη ter, ib.: ὅπου εἶεν μὲν ἐλεύθεροι, ... εἶεν δὲ δοῦλοι, καὶ ἐξείη μὲν τοὺς ἐλευθέρους ..... ἃ τοῖς ἐλευθέροις .... ἐξείη δὲ τοὺς δούλους ...; in §§. 28 et 29 orator verba μάρτυρες, μαρτυρεῖν, καταμαρτυρεῖν variari iubet; in §. 29 quater verbo παραγίγνεσθαι, ter παρέχεσθαι utitur; in §§. 38—39 ter διαλλάττειν; in §. 45 bis βουλευτήριον et βουλαῖος, in §. 46 quater ἀπογράφεσθαι. — Ex iis, quae in medium protuli, videri licet, quae primae orationi obiectantur, pari modo cadere in orationes quintam et sextam, quae ab Antiphonte non abiudicantur.

Tum quisquis quintam et sextam orationes cognoverit, sententias quasdam iis tantummodo, quae mutanda erant, mutatis accommodatisque rerum naturae, temporibus, locis, hominum moribus, prorsus inter se congruere sibi persuadebit. Velut, ut paucis complectar, V. 14 cum VI. 2; V. 87 in. cum VI. 3 fin. et VI. 4 in.; V. 87 fin., 88, 89 cum V. 5, 6; V. 84 cum V. 28; V. 84: καὶ οἱ μὲν ἄλλοι ἄνθρωποι .... καθιστάναι cum VI. 47 fin. convenit. Pariter sententiae orat. I, 11, 12 idem continent ac V. 38, V. 84, VI. 28, ut taceam exordia harum trium orationum, de quibus agimus, inter se simillima esse [2]). Tales enim locos communes, qui dicuntur, oratores sophistarum morem imitati antea collegerunt, ut orationibus suis insererent [3]). Itaque, qui hos locos communes composuit, unum eundemque fuisse, quippe quos solus singulis orationibus accommodare potuerit, ex ipsa rerum natura satis superque elucere mihi quidem videtur.

Reprehendendi quodam studio ducti Schmittius et Pahlius verbis quoque convicia fecerunt, quibus aliis locis plane non offendimur. Quorum prior [4]) τὸ ὑπερῷον [5]) hospitiorum loco adhibitum rarius esse adfirmat, cum Becker [6]) hunc unum adtulerit locum. At primum hic illo loco in universum Graecos etiam ea parte domus, quae ὑπερῷον vocabatur, ad hospitio aliquem excipiendum usos esse dicit, deinde Hermannus [7]) praecipue τὸ ὑπερῷον hospitibus saepe destinatum fuisse demonstrat. Tum Schmittius eodem loco dictionem τὴν ἀλήθειαν λαμβάνειν [8]) Antiphontis esse negat, quamquam eam ad similitudinem locutionum βάσανον vel ἔλεγχον λαμβάνειν explicari posse ipse concedit. Quod autem vocem ἄπαρνος (I. 9, 10) rarius reperiri recte quidem commonefacit quam ἔξαρνος, quod in V. 51 legimus [9]), in ora-

[1]) Der Areopag und die Epheten, S. 33. — [2]) Vide Hoppium l. c. p. 29 et Hartmanum l. c. p. 23 sq. — [3]) Spengelius: συναγωγὴ τεχνῶν, p. 106 sqq.; Kirchner: De temporibus orat. Ant., Progr. des Gymn. zu Frankfurt a./d. O. 1863 und 64, p. 6 sq., qui locos communes eo consilio contulit, ut tempora, quibus orationes Antiphonteae confectae essent, statueret. Bothius: De Ant. Rhamn. tetralogiis, p. 2 sq. O. Müller, griech. Lit. II. S. 126 ff. 4. Aufl. — [4]) Schmittius l. c. p. 12. — [5]) Cf. or. §. 14. — [6]) Charikles I. S. 196. — [7]) Lehrbuch der griech. Antiquitäten III., §. 19, S. 86. — [8]) Cf. or. §. 7. — [9]) Pahlius a. a. O. S. 16 idem cum Schmittio sentit.

tionibus etiam quinta et sexta nonnulla vocabula, ut infra videbimus, deprehendes, quae a communi dicendi genere abhorreant. Si vero ille ἐπισκήπτειν, quo verbo Antipho, nisi de eo, cui verbis mandatum datur, non usus sit, in §. 30 pro ἐπιστέλλειν, quod in usu sit, si cui quid litteris mandatur, esse intellegendum arbitratur, vehementer errat. Ammonium enim, cuius testimonium profert, non recte verba illa distinxisse iam Maetzner[1] observavit, qui ἐπισκήπτειν in §. 1 cum ἐπιστέλλειν in §. 30, ubi haec verba idem valent, comparat. Verum utrumque verbum eandem vim habet: cum autem iam bis in §§. 1 et 29 scriptum sit ἐπισκήπτειν, Antipho eloquendi varietatem effecturus ἐπιστέλλειν adhibet pro ἐπισκήπτειν. Contra Pahlius[2] vituperat, quod in narratione „ceteroquin siccitate quadam orationis insigni" noverca in poetarum morem Clytaemestra appelletur, cum in §. 23 pro ἀποκτείνειν usurpetur διαχρήσασθαι, quod verbum in sermone et consuetudine cotidiana versetur[3]. At narratio non arida est, sed, ut Blassius[4]) apte dicit, more poetarum maxime tragicorum frequentissimo plena verborum lectissimorum ac translatorum, id quod ex §§. 19, 20: ἡ δὲ παλλακή . . . . . οἱ θεοὶ θέλωσιν videri licet. Pahlius quidem causa non reddita verba §. 19: ἃ οὐκ ἔμελλε πείσεσθαι et §. 20: τὸν αὑτῶν φονέα exagitat, cum appellari deos in extrema §. 20: ἐὰν ὑμεῖς καὶ οἱ θεοὶ θέλωσιν prorsus ineptum esse contendat. Sed cur in re capitali appellatio deorum videatur esse mira, equidem non intellego[5]). Atque ex hac ipsa re, quod iudicia, unum si exceperis, proxime sacraria exercebantur, intelleges, quam facile deorum memoria animum subire potuerit. Accedit, quod oratoribus antiquis non solum iudices, sed etiam dii causas discernere videbantur[6]). Et vocabulum διαχρήσασθαι eiusmodi est, quo novercae machinationes apte significentur. An verbum ἀποκτείνειν minus e medio sumptum esse putas? Deinde sententia: εἰ ἀληθῆ λέγω, quam orator verbis §. 24: ταύτῃ καὶ ἄξιόν μοι βοηθῆσαι ὑμᾶς ἅπαντας inserebat, recte, si per Pahlium licet, se habet. Is enim, qui accusat, ab iudicibus, ut se adiuvent, ea condicione, quod iam in §. 3 commemoravit, petit, ut vera dicat[7]). Neque in verbis: ἡ τοὺς νόμους παρ-ιδοῦσα §. 24 — Pahlius περιιδοῦσα scribit — est, quod reprehendatur: nam idcirco, quod legem neglexit, novercam poenas luere necesse est. Neque minus apte ad interrogata in §. 25 respondetur: ἐγὼ μὲν οἶμαι τὸν τεθνεῶτα, ut oratio ad conclusionem, quae sequitur, apte traducatur. Quae autem Pahlius in sententiis §§. 28—30 elatis vituperet, haud facile intellegitur. Huic, quominus sententias percipiat, §. 28 obstare videtur. Sed singulas sententias rectissime decurrere equidem putaverim. Sunt autem hae: Nequeo satis mirari audaciam atque mentem fratris iure iurando interposito contendentis matrem suam tantum scelus non patrasse, quamquam ipse aberat. Qui tandem ea probe scias, quibus, cum gerebantur, non interfuisti? Quid, cur adicere nolis: Pro certo habere id solum potes, cui, cum gerebatur, interfuisti: frater autem non interfuit, nam profecto qui . . . . . quae verba

[1]) Vide comment. in or. I. p. 128. — [2]) A. a. O. S. 15. — [3]) Blassius a. O. S. 182 ff. — [4]) Cf. Ignatium: De Ant. Rhamn. elocutione. Diss. Gott. 1882. p. 4 — 7. — [5]) Maetzner, comment. in or. I. §. 20. p. 141, quem Hoppius l. c. p. 27 secutus est. — [6]) Simile invenies in VI. 40: ὦ Ζεῦ καὶ θεοὶ πάντες. — [7]) Hoppius l. c. p. 26.

sententiae, quae sequuntur, excipiunt. An Pahlius putat nullo pacto credi potuisse illos, qui tali peste interibant, ante mortem auctores sui exitii appellasse? — Idem, qui in §. 21: ἀκλεῶς ...... τὸν βίον ἐκλιπὼν verbum ἀκλεῶς inepte usurpari iudicat, Maetzneri[1]) fortasse opinione adductus, ut Hoppius censet, non intellexit, quod ille dicebat. Iuvenes ingenuos iudiciis abstinuisse constat; si quis autem consanguineorum interfectus erat, sanctissimum erat officium uniuscuiusque caedem ulcisci. Atque vel civi plebei generis veneno vita decedere turpe erat. Idem homo doctus cum verba: ὡς ἐγὼ καὶ ἡ γραφὴ λέγει §. 2, quae inanem esse adfirmat verborum sonitum, non recte antecedentibus adiungi ac verbum καθεστᾶσι in vocem ἀντίδικοι neque vero in verbum φονῆς cadere neque nisi cum vocabulis φονῆς καθεστᾶσι congruere dicat, tanto opere usui, quo singula verba compluribus substantivis adduntur, repugnat, ut hanc sententiam diluere et falsam esse dicere supervacaneum mihi esse videatur. Nec, ut rationem eius cognoscas, alienum esse opinor hoc loco demonstrare, quo modo hunc locum corrigi velit. Qui vehementius iterationes insectatur, idem scribi iubet: αὐτοὶ γὰρ οὗτοι καθεστᾶσι ἀντίδικοι, καὶ φονῆς γεγένηνται[2]). — Eidem genus femininum verbi φονεὺς in §. 3 valde displicet, quod cum vocabulis structurae verborum accommodatis ἀποκτεῖναι τὸν ἡμέτερον πατέρα vel ἡ ἀποκτείνασα commutari vult, quamquam priora verba in §. 6, posteriora in §. 22 leguntur.[3]) Et Schmittius[4]) et Pahlius[5]) plurali numero φονεῦσι §. 1 et φονῆς §§. 2, 4 offenduntur. Verum nec verba Maetzneri[6]), quibus pluralis numerus defenditur, nec Schmittii, qui ex ipsa oratione colligit accusatori cognatos et amicos, ut ait Maetzner, praesto non fuisse, emendationem esse necessaria censeo. Nam et Schmittius et Pahlius aliis argumentis contra pluralem numerum non prolatis aequis animis dicere poterant numerum pluralem ab Antiphonte hoc loco poetarum more adhibitum esse, id quod simplicius est, praesertim cum tota oratione accusator novercam solam patrem occidisse demonstrare studeat[7]). Quare mea quidem sententia Hoppius[8]) pluralem numerum τοῖς φονεῦσι falso ita explanat, ut actorem, qui patris mandata exsequatur, numero plurali ostendere dicat suum patrem, utrum uxor una an paelex et filii quoque ipsi sceleris participes essent, nescivisse. Sed oratorem ea ipsa re, quod in oratione novercam solam caedis auctorem appellat, ostendere voluisse existimo sibi patrem, cum postremum secum colloqueretur, matrem principem caedis esse dixisse. Denique Hoppius pluralem numerum in §§. 2 et 4 brevitatis causa adhibitum esse credit. Falso, ut opinor. Quo modo enim, quaeso, fieri potest, ut is, qui per totam orationem ubertate quadam verborum excellit, hoc ipso loco brevi praecidere voluerit? — Possum alia adferre, quae Pahlio offensioni sunt; verum illa, quae protuli, eiusmodi sunt, quibus demonstretur eum nihil adferre posse, unde hanc orationem subditiciam esse eluceat.

---

[1]) Maetzner, comm. in or. I. p. 127. — [2]) Vide or. §. 4, ubi verborum ordine inverso legitur: φονῆς γεγένηνται, ἐμοὶ δ' ἀντίδικοι καθεστᾶσι. — [3]) Cf. Ignatium l. c. p. 3; Hartmanum l. c. p. 31. — [4]) Cf. l. c. p. 9. — [5]) Cf. a. a. O. S. 16. — [6]) Cf. comm. in or. I. p. 128. — [7]) Cf. or. §§. 3, 7, 8, 10, 20, 25, 26, 27. — [8]) Cf. l. c. p. 28.

Huc accedit, quod tres illae orationes, quamquam oratio prima est accusatio, illarum utraque defensio, tamen dispositione rerum sententiarumque inter se simillimae sunt. In prooemio enim primae orationis, §§. 1—4, is, qui orationem dicit, de adulescentia, de rerum forensium imperitia, de fortuna, qua hac lite implicitus est, queritur, quae eaedem sententiae in exordio quintae orationis reperiuntur. Cum in orationibus prima et sexta iudices moneantur, ut legibus a diis sanctis satisfaciant, in his tribus breviter, de quibus rebus agatur, docent ii, qui loquuntur, et iudicum benevolentiam sibi conciliare student. — Prooemia singularum orationum ea pars sequitur, quae προκατασκευὴ nominatur. Qui primam orationem dicit, postquam in prooemio novercam iam antea saepius conatam esse maritum veneno interimere exposuit, in ea parte, quae προκατασκευὴ dicitur, §§. 5—13, se mirari dicit, quod adversarii, ne verum patefiat, servos torquendos dare nolint. Qua contentione et sua ratione cum eorum, qui matrem defendunt, comparata adversarios in iudicum invidiam adducere studet. Simili modo in iisdem reliquarum duarum orationum partibus rationem suam cum defensorum, qui falsis criminationibus leges atque instituta a maioribus tradita violaverint, audacia confert. — Sequitur, quae pars πρόθεσις vocatur, in oratione nostra §. 13 fin., quae in singulis orationibus ad narrationem ipsam traducit [1]). Haec narratio in or. I. §§. 14 et 20 continetur, quam longe optimam partem orationis esse supra diximus, cum in reliquis haec pars multo inferior sit. Narratione confecta in orationibus quinta et sexta orator confirmationem, qua in parte Antipho praecipue artes suas profert, ingreditur. In prima autem oratione argumenta, ut supra dixi, adferri non potuerunt. In hac enim rerum natura argumentum nisi ἐξ εἰκότων deductum, quo orator iam in ea parte, quam προκατασκευὴν nominamus, utebatur, adferri non potuit [2]). Oratoris igitur erat contentione, quid inter suam et adversarii causam interesset, explanare, ut iudices moveret, id quod in §§. 21 — 30 quocumque modo studet efficere. Attamen argumentationis genus in tribus his orationibus similitudinem quandam habet, cum etiam orationibus quintae et sextae argumenta gravissima ex facti vestigiis desumpta sint, ita ut minus rerum factarum, sicut vere se habeant, quam eorum, quae cum ex factis tum ex adversariorum verbis concludi et probabiliter exponi possint, ratio habeatur. — Sententiarum autem ordinem in prima oratione atque in reliquis duabus, ut inter se differrent, mutari necesse erat. Nam id ipsum praeclarum est Antiphontis, quod sententias singulas variare consuevit, simulque luculentissimum testimonium nullo pacto hanc orationem ab imitatore nescio quo conscriptam esse. Nam si quis Antiphontem sibi imitandum proposuisset, hunc rerum inventionem ac dispositionem, quae in orationibus reperiuntur, secuturum eaque re plane perfecteque nos decepturum fuisse manifestum est [3]).

In fine orationum primae et quintae, qui verba facit, ab iudicibus, ut e legibus iudicent, petit. Cum autem oratio sexta his precibus non

---

[1]) Orationem quintam, ubi brevis πρόθεσις §. 7 fin. et §. 19 prooemium subsequitur et προκατασκευήν, excipiamus necesse est. — [2]) Linder l. c. p. 24. — [3]) Hoppius l. c. p. 29—32.

terminetur, illud pro certo adfirmari licet extremam orationem nobis non esse traditam [1]).

Ex iis, quae congessimus, primum, qua de causa in hac oratione inopia quaedam argumentorum insit, quaque de causa et sententiae et verba eadem saepius in ea inveniantur, facile videmus; deinde easdem verborum iterationes etiam in aliis legi intellegimus; tum varia ex parte adversa proposita refutare studuimus; postremo has tres orationes ipsa rerum dispositione praeter unam rem, qua discrepent, necesse est concinere cognovimus. Unde non esse concludimus, cur orationem primam ab alio quam ab quintae et sextae orationum scriptore confectam esse censeamus.

Tum ad quaestionem, de qua agitur, persolvendam multum conferes, si exploraveris, num dicendi ratio, qua in novercam orationis scriptor usus est, cum ratione congruat, quam secutus est in orationibus de caede Herodis et de saltatore scriptis. Nam si idem has orationes conscripsit, inter eas, quamquam oratio prima admodum brevis est, tamen similitudinem quandam generis dicendi intercedere reperiemus. Ac veteres scriptores Antiphontem cum Thucydide antiquiore et eo severiore dicendi genere, quod dicendi genus Graeci αὐστηρὰν ἁρμονίαν, αὐστηρὸν χαρακτῆρα appellare solebant, usos esse indicarunt [2]). Cuius antiquioris dicendi generis propria sunt et gravitas et vetustas dictionis, ad quas accedunt verba, quae obsoleta aut poetica appellantur. Saepius verba propriis inusitatioribusque notionibus usurpantur vel nova secundum linguae leges finguntur. Magna praeterea subtilitate magnoque acumine singulae notiones distinguuntur, definiuntur, aliae aliis opponuntur. Denique illi studio acute subtiliterque, quae mente conceperant, exprimendi sententiam magis quam formam sermonis spectantes commoti sunt, ita ut non raro orationis concinnitas neglecta sit [3]). — Hoc dicendi genus grave et austerum quanto opere Antiphontis ingenio responderit, maxime ex tetralogiis cognosci potest, ubi scriptori nulla re adstricto verbis uti licuit, quae in mentem ei veniebant; nam respiciendum est has tetralogias non ad forensem usum destinatas, sed aut exercitationis causa aut in usum discipulorum conscriptas esse videri. Quae elatio atque altitudo dicendi ne iis quidem locis orationum, quae ad causas certas publice tractandas scriptae sunt, quibus simplici opus erat sermone, desideratur. Ubicumque autem sanitate quadam orationis utitur, rationem capit, qua, quam rudis sit in hoc dicendi genere, ante oculos ponitur. Quo spectant eiusdem verbi repetitiones — velut, ut unum mihi liceat adferre exemplum, verbum καθίστημι plus quadragies in Antiphontis orationibus exstat — et enuntiationum compositiones parum accuratae [4]). Atque mirum et a sermonis indole alienum esset, si aliter res se haberet. Cui rei documento est non solum Graecorum sermo poeticus, sed etiam sermo, qui innatus est nobis. Quamquam omitti nequit Antiphonti, qui

---

[1]) Vide, quod supra de hac re commemoravi. — [2]) Dionys. Halicarn. π. συνθ. ὀνομ. c. 22. Blassius a. a. O. S. 119. — [3]) Vide Blassium a. a. O. S. 113 ff. Bothium: De Antiph. et Thucydidis genere dicendi, p. 8. Lehmannum l. c. p. 10, et quae optime disseruit O. Mueller, griech. Lit. II. S. 129 ff. 4. Auflage, bearbeitet von Heitz, Stuttgart 1882. — [4]) Morawsky, Zeitschr. für österr. Gymn. Jahrg. 30, S. 163, 164.

suum studium ad orationes aliorum in usum conscribendas contulit, magis quam aliis antiquioris generis dicendi scriptoribus sermonem adhibendum fuisse communem hominum et vulgarem. Atque re vera quo diutius ille vitae negotiosae usum respiciebat, eo melius cotidianam consuetudinem retinuit. Unde mirum nos non habet, quod in recentissima oratione — sextam dico — rarius illius antiquioris dicendi generis vestigia reperiuntur neque Antipho vocabulis quibusdam, quae quidem Thucydides adhibet, utitur. Velut enuntiata verbis τοῦτο μὲν ..... τοῦτο δὲ opposita, quae verba in reliquis orationibus totiens usurpantur, in oratione sexta nobis non occurrunt. Et pro σσ consonantium, quae vocantur, litterarum coniunctione in verbis πράσσω, ἔλασσον, similibus recentiores formae in ττ comparatae leguntur. Attamen, etsi rarius, reperiuntur apud eum, quae a communi dicendi genere abhorreant aut in poetarum morem dicta esse videantur. Velut scriptum videmus in I, 7 ἀντισπείδω; in 10 ἐπερωτῷμι; in 18 ἐδεδειπνήκεισαν; in 29 πρὶν pro πρὶν ἄν; πρὶν γ' ἤδη ἐν αὐτῷ ὦσι κτλ.; in 31 δεδιήγηται; in V, 46 ἄξαι; in 76 εὐρόπως; in 78 χωροφιλεῖν; in 93 συνεκσῴζειν; ib. invenies in I, 25 ἀνελεημόνως; in V, 19, ἀπελέγχω; in 21 ἀπελέγχεσθαι; cf. 25, 89; in VI, 6 αἰτίαισι; in V, 27: ὀπτήρ; in 87 νικᾶσθαί τινος; in 91 formam βλάβος pro βλάβη [1]). Quibuscumque vero locis verba occurrunt antiquitatem quandam redolentia velut ἀλιτήριος, ποινή, προςτρόπαιος, ἐνθύμιος κτλ. causas istas cum religione secundum leges antiquissimas cohaerere scito.

Idem saepius verbis quibusdam vim subicit, quam in oratione communi nunquam continent: In I, 3 προβουλή exstat, quod vocabulum idem significat quod πρόνοια in VI, 19 aut προαίρεσις (Demosth. adv. Leoch. 57); in I, 7 ἀπολογεῖσθαι pro ἀποκρίνεσθαι ἐν τῇ ἀπολογίᾳ; 9 et 10 ἄπαρνος pro ἔξαρνος, cuius rei mentionem iam feci; 19 φιλησομένη, ubi φιληθησομένη poni debebat; 22 ἀτέλεστος usurpatur ita, ut significet, quod ad finem non sit perductum, quamquam ea vis in oratione communi illi voci non inest; 23 ἀβούλως sub notione vocabuli δυςβούλως, nisi aliud verbum in eius locum supponas, legitur. His locis addas I, 25, ubi a verbo γίγνοιτο particula ἄν abest, quam particulam Dobreeus [2]) primus adicit, cum Blassius in utraque Antiphontis editione γίγνοιτο (ἄν) scribi velit [3]). Similia in reliquis duabus orationibus invenies. Velut in V, 14 et 18 ἀποκρίνεσθαι usurpatur pro ἀπολογεῖσθαι; 44 μεθ' ἡμέραν scriptum est pro καθ' ἡμέραν; 90, 94 τότε et ἐκεῖ ad tempus futurum referuntur; in VI, 3 καταγιγνώσκω verbi simplicis locum obtinet; 4 ἁγνεύειν idem significat, quod vulgo ἁγνίζειν; 43 εἰςέρχεσθαι magistratum inire munere, quod quis ineat, non addito nullo alio loco invenitur, similia.

Ut acrius et elatius sententiam exprimat, orator novis aut inusitatis verbis et dicendi rationibus utitur. Et praeter cetera verbi notionem circumscribere studet aut participio cum verbi εἶναι formis coniuncto loco structurae verbalis utens aut pro simplici verbo substantiva adhibens a verbis

---

[1]) Morawsky a. a. O. S. 166. — [2]) Advers. crit. p. 167. — [3]) Kühner, gr. Gramm. §. 395, 3; sed videas, quod dicit Maetzner l. c. p. 144 sq.

notis et usitatis ducta, quae cum γίγνεσθαι aut ποιεῖσθαι verbis coniuncta apparent et magnam partem in της et σις litteras exeunt. Quae scribendi ratio ὀνομαστικὴ λέξις vocatur [1]). Exempli causa ponam, quae leguntur in I. 8: πῶς οὖν . . . . . . ἔσται φάσκων; 11: εἰμὶ ὁ θέλων . . . . . . τοῦτο δὲ κελεύων; in I. 2: τιμωροὺς . . . . . βοηθοὺς γενέσθαι; 4 τοῦ μὲν τεθνεῶτος φονῆς γεγένηνται et ib. καταφυγὴν ποιήσεται; 7: ἔλεγχον ποιεῖσθαι; cf. 8, 10, 11, 12, 18, 21, 22, 24; eodem modo dicta sunt verba V, 18: τούτοις γὰρ ἦν τοῦτο συμφέρων; 23: ὁ μέν ἐστι φανερὸς ἐκβάς. . . . . . καὶ οὐκ εἰςβάς; cf. 25, 29, 30: οὗτος ἦν ὁ πεισθεὶς ὑπὸ τούτων καὶ καταψευσάμενος ἐμοῦ; cf. 68, 78, 88, 94; V, 4: ἀκρόασιν παρέχειν; 6 τὴν ἔκπληξιν παρέχειν; 10: κρίσιν μοι ποιεῖν, ib. τίμησίν μοι ποιεῖν; 15: γενέσθαι νομοθέτης; 17, 22: ἡ μετέκβασις ἐγένετο εἰς τὸ πλοῖον; 47: τῶν μὲν . . . . λόγων κριτὰς γίγνεσθαι, τῶν δὲ ἔργων . . . . δικασταὶ ἐγένεσθε; cf. 65, 66, 92, 94, 95; VI, 4: καὶ μὴ ἔστιν ὁ τιμωρήσων; 6, 22, 25, 26: αὐτοὶ ἦσαν οἱ οὐκ ἐθέλοντες, cf. 27, 34, 48; VI, 7: δίωξιν ποιεῖσθαι, 18, 19. — Contra Antipho aliis locis adiectivo vel participio neutri generis addito articulo pro substantivis abstractis, quae vocantur, utitur, quod adiectivum rem planius oculis quasi subicit quam abstractum, participium vero non solum notionem rei exprimit, sed etiam vim actionis complectitur [2]). Velut in I, 4: ἡ πρὸς ὑμᾶς καὶ τὸ δίκαιον; 6: ὅπως τὸ πραχθὲν ᾖ ἀληθές; 7: ἐν τῷ ὑμετέρῳ δικαίῳ οὐχ ἧσσον ἢ ἐν ἐμῷ [3]); 8: ἔλεγχον τῶν πεπραγμένων; ib. τὰ γὰρ γενόμενα; 13: τῶν πραχθέντων τὴν σαφήνειαν; in V, 6: οὐ γὰρ μόνον τῶν λεγομένων ἀνάγκη ἐνθυμεῖσθαι, ἀλλὰ καὶ τῶν ἐσομένων; ib. ἅπαντα γὰρ τὰ ἐν ἀδήλῳ ἔτ' ὄντα; 73 κρεῖσσον δὲ χρὴ γίγνεσθαι ἀεὶ τὸ ὑμέτερον δυνάμενον . . . . ἢ τὸ τῶν ἐχθρῶν βουλόμενον . . . .; in VI, 5: ἀνάγκη . . . παρὰ τὸ ἀληθές, αὐτοῦ τε τοῦ ἀληθοῦς.

Veteres autem scriptores, cum id praesertim agerent, ut singulis verbis sua cuique vis tribueretur, magis sententiam quam formam respiciebant, quo factum est, ut interdum a concinnitate et perspicuitate orationis recederent. Liceat nonnulla huius rei exempla adferre. Antipho dicit in I, 2: ὡς ἐγὼ καὶ ἡ γραφὴ λέγει, ubi verbum finitum non ad primam, sed ad tertiam personam refertur; cf. 20: ἐὰν ὑμεῖς τε καὶ οἱ θεοὶ θέλωσιν; in V, 22: ἐγὼ ποιησάμενος . . . . . οὔτε κατασχόντες . . . . χρησάμενοι, ubi reus modo de se, modo de se et comite loquitur, ita tamen, ut discrimen sententiae fere nullum exstet; in VI, 1, 2, 10, ubi formae ταῦτα et τούτων numeros singulares spectant, alia. Repentina subiecti mutatio observatur in verbis I, 26: πῶς οὖν ταύτην ἐλεεῖν ἄξιόν ἐστιν ἢ αἰδοῦς λαγχάνειν κτλ.; insoliti aliquid habet constructio verborum in §§. I, 16, 17; V, 14; VI, 2: ὑπάρχει μέν γε αὐτοῖς ἀρχαιοτάτοις εἶναι ἐν τῇ γῇ ταύτῃ, ἔπειτα τοὺς αὐτοὺς ἀεὶ περὶ τῶν αὐτῶν; cf. V, 36, 37, 91; VI, 38. In I, 28: καὶ ὡς ἀνθρώπων μηδένα εἰδέναι infinitivus, qui dicitur, liberius adiectus est; sim. habes in V, 63: ὡς πάντα ποιῆσαι. Insolita est structura praepositionis ἐκ in verbis I, 8: ἐκ μὲν γὰρ τῆς τῶν ἀνδραπόδων

---

1) Walzius, Rhet. Graec. III. p. 226; Morawsky a. a. O. S. 165. — 2) Classenius, Vorrede zu Thucydides; O. Müller, gr. Lit. II, S. 130 (4. Aufl.) — 3) Mirum est, quod Antipho semper *τὸ δίκαιον* pro *δικαιοσύνη* usurpavit. Cf. Ignatium l. c. p. 15.

βασάνου εὖ ᾔδει κτλ.; in V, 19: ὅμως μέντοι γε καὶ ἐκ τούτων πειράσομαι κτλ.; in VI, 35: καὶ αὐτοῖς ἐκ μὲν τῶν πεπραγμένων ..... ἀποφεύξεσθαι; pronomen οἵ exstat in I, 16 et in V, 93. Illi eadem causa permoti inceptam enuntiatorum structuram ad finem non perduxerunt, sed omiserunt et verbis alio modo consertis enuntiati finem fecerunt antecedentibus prorsus non respondentem [1]). Unde anacolutha [2]), quae dicuntur, enascuntur, quamquam apud Antiphontem pauca huius generis exempla reperiuntur et aliae eaeque simpliciores res, ut mox videbimus, adhibentur, quibus orationis varietas efficitur. Attamen legitur in V, 46: ὃ δὲ καὶ μάλιστα ἐνθυμεῖσθε .... καὶ μή ἄχθεσθέ μοι ..... ἂν ....; infra brevi colligitur oratio verbis μὴ οὖν ἐξέληται; sim. habes in V, 11, 93; in VI, 19, 23, 45. In oratione prima talia non sunt, nam loci I, 16: κάλλιστον οὖν ..... ἅμα δὲ θύσαντα et 17 ἔδοξεν οὖν ..... διακονοῦσαν aliter, ut supra dixi, se habent [3]). Quo factum est, ut antiquiorum temporum scriptores et sententias quam maxima cura efferre et variandi genus scribendi studio quam plurimum indulgere possent.

Antipho cogitationum et sententiarum, ut supra dictum est, repetitione, qua illis maiorem vim subiceret, uti consuevit. Idem, ut rem magis premeret, notionem notioni, quae idem significat, aut complures tales notiones inter se coniungere solebat. Qua notionum ubertate et abundantia verborum, quae poetici sermonis magis propriae sunt, orationem magnificam et gravem reddidit. Cuius rei multa exempla promi possunt in I, 1: δεινῶς καὶ ἀπόρως; 3: ἐξ ἐπιβουλῆς καὶ προβουλῆς; ib. μὴ ἅπαξ, ἀλλὰ πολλάκις; 10: ὀρθῶς καὶ δικαίως; 20: εὐθέως παραχρῆμα; ib. διακονήσασα καὶ χειρουργήσασα; 21: τῷ τεθνεῶτι .... καὶ τῷ ἠδικημένῳ; καὶ ἐλέου καὶ βοηθείας καὶ τιμωρίας; ἀθέως καὶ ἀκλεῶς; 22: ἀθέμιτα καὶ ἀνόσια καὶ ἀτέλεστα καὶ ἀνήκουστα καὶ θεοῖς καὶ ὑμῖν; 23: δικασταὶ ἐγένεσθε καὶ ἐκλήθητε; 25: καὶ γὰρ δικαιότερον καὶ ὁσιώτερον; ib. ἀνελεημόνως καὶ ἀνοικτίστως; 26: ἑκουσίως καὶ βουλεύσασα; ib. ἀκουσίως καὶ βιαίως; ἀνοσίως καὶ αἰσχρῶς; 27: ἑκουσίοις καὶ ἐκ προνοίας ἀδικήμασι καὶ ἁμαρτήμασι; ib. οὔτε θεοὺς οὐθ' ἥρωας οὔτ' ἀνθρώπους αἰσχυνθεῖσα οὐδὲ δείσασ' ἀπώλεσεν ..... μήτ' αἰδοῦς μήτ' ἐλέου μήτ' αἰσχύνης. Simili modo legitur in V, 7: νομίμως καὶ ὁσίως; 8: παρανομώτατα καὶ βιαιότατα; ib. ἡ τούτων βιαιότης καὶ παρανομία; 9; νομιμωτάτην καὶ δικαιοτάτην; 11: ὅρκον μέγιστον καὶ ἰσχυρότατον; 14: κάλλιστα κεῖσθαι καὶ ὁσιώτατα; ib. ὀρθῶς καὶ νομίμως; 16: ἀμφισβήτησιν καὶ λόγον; 19: τὰ κατεψευσμένα καὶ ἐπιβεβουλευμένα; 22: οὐδενὶ μηχανήματι οὐδ' ἀπάτῃ; 25: τὸ ἀληθὲς καὶ τὸ γεγενημένον; ib. ἐξ ἐπιβουλῆς συνέθεσαν ταῦτα καὶ ἐμηχανήσαντο; 42: παρὼν καὶ συνὼν; 44: οὔτε ἀνέκραγεν οὔτ' αἴσθησιν οὐδεμίαν ἐποίησεν; 82: ταῦτα μέγιστα καὶ πιστότατα; 88: ἁμαρτία καὶ ἀσέβειά ἐστιν εἴς τε τοὺς θεοὺς καὶ εἰς τοὺς νόμους; 93: ἀνόσιον εἰργασμένῳ μηδ' εἰς τοὺς θεοὺς ἠσεβηκότι. Etiam in oratione sexta similia inveniunturi in VI, 1: κακότητος καὶ αἰσχύνης; 2: ὀρθῶς καὶ νομίμως; 3: κινδυνεύοντι καὶ διωκομένῳ; ib.: τοῦ δικαίου καὶ τοῦ ἀληθοῦς; 5: ἀσεβῶν καὶ παραβαίνων τὰ εἰς τοὺς θεούς; 6: ἁμαρτία καὶ ἀσέβεια;

[1]) Cf. O. Müller, gr. Lit. II., S. 130 ff. (4. Aufl.) — [2]) Goelkelius, Beiträge zur Syntax des Verbums und zur Satzbildung bei dem Redner Antiphon. Passau, 1883, S. 44. [3]) Cf., quod supra, p. 12, de his locis dixi.

7: εὐσεβείας ἕνεκα καὶ τοῦ δικαίου; 8: ἀποκρίνεσθαι καὶ διηγήσασθαι; 9: ἀποφήνασι καὶ ἐξελέγξασιν; 10: ὅσια καὶ δίκαια; 11: ἄριστα καὶ δικαιότατα; 12: ὀρθῶς καὶ δικαίως; 16: ἀληθέστερα καὶ εὐορκότερα; 18: τῷ δικαίῳ καὶ τῷ ἀληθεῖ; 22: τὰ πραχθέντα καὶ τὰ γενόμενα; 24: οὐδὲν δίκαιον οὐδ' ἀληθές; 25: σαφέστατοι καὶ πιστότατοι; 26: τἀληθῆ καὶ τὰ δίκαια; 33: ἐπιορκοτάτους ὄντας καὶ ἀσεβεστάτους; 35: σωτηρίαν καὶ ἀπαλλαγήν; 37: καθῆραι καὶ τὰ νομιζόμενα ποιῆσαι; 40: συνόντας καὶ διαλεγομένους; 46: παρόντες καὶ ἐπιδημοῦντες; 47: σχετλιώτεροι ἢ ἀνομώτεροι; 48: μήτε εἶπον μήτε ἀπέφηνα; ib. iterum συνόντας καὶ διαλεγομένους et ἐπιορκοτάτους καὶ ἀνοσιωτάτους; 49: δεινὰ καὶ σχέτλια; 51: εὐσεβεστάτους . . . . καὶ δικαιοτάτους, alia. — Idem verba composita simplicibus antefert multaque in extremo enuntiato verba ponit similiter cadentia. Atque haec attulisse sufficiat ex I: διαλέγεσθαι, διομνύναι, ἀντισπεύδειν, ἐπερωτᾶν, ἐξαρκεῖν, ἀπαγγέλλειν, ἀποφαίνεσθαι, παραιτεῖσθαι, ὑποδέχεσθαι, alia; ex V: διαψηφίζεσθαι, διομνύναι, διαπειρᾶσθαι, διαφεύγειν, διακινδυνεύειν, διακωλύειν, ἀποιμώζειν, ἐκδιδάσκειν, καταμανθάνειν, καταγιγνώσκειν, alia; ex VI: διομνύναι, καταγιγνώσκειν, ἐξαμαρτάνειν, ἐξαπατᾶν, ἀποφαίνειν, alia. Ex I, 8: ᾔδει, ὅτι οὐχ οἷόν τ' ἦν αὐτῇ σωθῆναι, ἐν δὲ τῷ μὴ βασανισθῆναι ἡγεῖτο τὴν σωτηρίαν εἶναι; 13: ᾔδεσαν . . . . . κακὸν ἀναφανησόμενον, ὥστε σιωπώμενον καὶ ἀβασάνιστον; cf. 14, 20, 22, 27; ex V, 8: ὡς παρανομώτατα καὶ βιαιότατα εἰς τόνδε τὸν ἀγῶνα καθέστηκα; 9: οὕτως εἴς γε ταύτην τὴν ἀπαγωγὴν νομιμωτάτην καὶ δικαιοτάτην; cf. 48, 49: σκοπεῖτε δέ, ὦ ἄνδρες, καὶ ἐκ τοῖν λόγοιν τοῖν ἀνδροῖν ἑκατέροιν τοῖν βασανισθέντοιν; 82: κινδυνεύσαντας δὲ τοὺς ἐσχάτους κινδύνους διὰ τοὺς τοιούτους ἀνθρώπους; cf. 33, 83, 84; ex VI, 19: καὶ ἐναντίον μαρτύρων πολλῶν καὶ ἀνδρῶν καὶ παίδων καὶ ἐλευθέρων καὶ δούλων; cf. 45, 49.

Denique Antiphontem inprimis singulas voces ita pronuntiasse, ut suus cuique sonus servaretur, ex crebris vocalium concursionibus intellegitur. Itaque hiatum invenimus, ubi orator optime eum potuit evitare. Velut in I, 1 tredecim hiatus observantur. Simili modo quattuor deinceps hiatus sequuntur in I, 8: ἐκ μὲν γὰρ τῆς τῶν ἀνδραπόδων βασάνου εὖ ᾔδει, ὅτι οὐχ . . . . .; cf. 15, 16, 17, 20; in V, 5: καὶ ἡγεῖσθαι ἀπειρίᾳ αὐτὸ μᾶλλον ἢ ἀδικίᾳ ἡμαρτῆσθαι; cf. 7, 27, 45, 73, alia; in VI, 3: αὕτη δὲ μὴ ὀρθῶς καταγνωσθεῖσα ἰσχυροτέρα ἐστὶ τοῦ δικαίου; 10: οὔτε γὰρ δὴ οὗ ἡ πόλις ἐλάμβανεν ἂν δίκην εἴ τι ἠδίκητο; cf. 14, 17, 19, alia.

In verborum autem collocatione, quamquam Antiphontem a solita verba collocandi consuetudine non tam recedentem quam satis constantem et aequalem verborum ordinem servantem videmus, tamen proferamus, quae huius oratoris videntur propria esse. Ut omittamus saepe eum gravissimum quidque in initio totius enuntiati ponere, ad quod illud quoque pertinet, quod accusativum e verborum ordine solutum toti enuntiationi praefigit, velut in I, 5: θαυμάζω δ'ἔγωγε καὶ τοῦ ἀδελφοῦ, ἥντινα . . . .; 4: οὓς γὰρ ἐχρῆν . . . · οὗτοι τοῦ μὲν . . . . .; in V, 85: ὧν δ'ἔχω τὴν αἰτίαν, ἀγών μοι νόμιμος ὑπολείπεται; in VI, 2: καὶ τοὺς μὲν νόμους . . . . πάντες ἂν ἐπαινέσειαν . . . ., eum rei premendae causa participia et adverbia in enuntiatorum fine animadvertas velim posuisse in I, 5: ἐκ προβουλῆς ἀκουσίως ἀποθανόντος, τῆς δὲ ἑκουσίως

ἐκ προνοίας ἀποκτεινάσης; 17: ἅμα διακονοῦσαν; cf. 20, 22, 25; in V, 13: αὐτὸς σαυτῷ νόμον θέμενος; 16: ὡς καὶ τοῖσδε τοῖς δικασταῖς ἀπιστήσων; 48: ἢ ἐγὼ νῦν φεύγω ὑφ' ὑμῶν ἀδίκως; cf. 67, 68, 75, 82; in VI, 28: ἐπίσταμαι δὲ καὶ .... ὅτι .... παραγενόμενοι, αὐτοῖς .... καταμαρτυροῦντας; 38: καὶ δίκην ἕτοιμοι ..... τῶν ἡμαρτημένων; cf. 41, 48, 51. Nec desunt exempla, in quibus Antipho eodem modo ac Thucydides genetivum obiectivum, qui dicitur, alteri ei vocabulo, a quo pendet, praeponat. Velut in I, 5: τοῦ τεθνεῶτος τὴν τιμωρίαν; 13: τῶν πραχθέντων τὴν σαφήνειαν; in V, 16: ὡς τοῦ φόνου τὴν δίκην ὠφληκότα, alia. — Idem vocabulum, quod ad duas alicuius enuntiati partes spectat, in medio ponit in I, 2: οὓς εἰκὸς ἦν τῷ μὲν τεθνεῶτι τιμωροὺς γ ε ν έ σ θ α ι, τῷ δὲ ἐπεξιόντι βοηθούς; 21: ἐγὼ μὲν τῷ τεθνεῶτι ὑ μ ᾶ ς κ ε λ ε ύ ω καὶ τῷ ἠδικημένῳ ....; 22: ὑμεῖς δ'οὐ τῶν ἀποκτεινάντων ἐ σ τ ὲ β ο η θ ο ί, ἀλλὰ τῶν ἐκ προνοίας ἀποθνησκόντων; in V, 45: οὔτε ἐν τῇ γῇ σ η μ ε ῖ ο ν ο ὐ δ ὲ α ἷ μ α ἐ φ ά ν η οὔτε ἐν τῷ πλοίῳ; cf. 6, 7, 51, 92; in VI, 31: τούτους μὲν αὐτοὺς ὑπὸ σφῶν αὐτῶν ἐξελεγχόμενος καὶ ὑπ' ἐμοῦ; cf. 7, 8, 32.

Alibi Antipho verbis talem adsignat locum, ut ex ipsa collocatione eorum, quanti momenti putanda sint, cognoscas. Cf. in I, 3: καὶ μὴ ἅπαξ, ἀλλὰ καὶ πολλάκις ἤδη λ η φ θ ε ῖ σ α ν τὸν θάνατον τὸν ἐκείνου ἐπ' α ὐ τ ο φ ώ ρ ῳ μηχανωμένην; 6: π ρ ο θ υ μ η θ ῆ ν α ι, ὅπως τὸ π ρ α χ θ ὲ ν ᾖ ἀληθές, ἐ π ε ξ ε λ θ ε ῖ ν; cf. 10, 22; in V, 4: ἐγὼ οὖν, ὦ ἄνδρες, αἰτήσομαι ὑμᾶς, οὐχ ἅπερ οἱ πολλοὶ τῶν ἀγωνιζομένων ἀ κ ρ ο ᾶ σ θ α ι σφῶν αὐτῶν αἰτοῦνται; cf. 9, 13, 18, 21, 22, 48, 63, 81, 86; in VI. 1: ἀλλ' εἴ τις κ α ὶ συμφορὰ γίγνοιτο; cf. 4, 7, 10, 29, 31, 33, 41. — Ac semper pronomen demonstrativum, si cum substantivo γῇ coniunctum, est, hoc substantivum sequitur; cf. in I, 26: ἐκ τῆς γῆς τῆσδε; cf. V, 9, 13, 14; V, 2, 7, 42. — Magnifice et magna cum ubertate dictum est, quod scriptum videmus in I, 5: θαυμάζω δ' ἔγωγε κτλ.; 15: μεταπέμπεται, καὶ ἐπειδὴ ἦλθεν, ἔλεξεν αὐτῇ; cf. I, 17, 18, 19, 20, 21; in V, 72: μέγα τοι ἡμέρα παρ' ἡμέραν γιγνομένη γνώμην, ὦ ἄνδρες, ἐξ ὀργῆς μεταστῆσαι καὶ τὴν ἀλήθειαν εὑρεῖν τῶν γεγενημένων; 82: συναπώλεσαν μετὰ τῆς αὐτῶν ψυχῆς τοὺς ὁσίως διακειμένους τὰ πρὸς τοὺς θεούς; cf. 22, 74, 75, 93; in VI, 40: ὥστε δεινὸν δόξαι εἶναι τῇ βουλῇ, ἐπειδή μοι ἐπύθετο προειρημένον; cf. 49.

Iam ex locis quibusdam, quos supra exscripsi, videre licet Antiphontem aliquotiens vocibus usum esse, quae a communi usu recedentes ex poetarum more dicta sunt. Itaque, quamquam ei communis hominum sermo, si quidem id, quod sibi proposuerat, effici volebat, observandus erat, nonnunquam verba translata adhibet, inprimis in tetralogiis, ubi, quae forte praesto erant, verbis uti poterat. Cuius rei exempla ex aliis quoque orationibus depromi possunt; ex I, 13: δίκη δὲ κυβερνήσειεν; 20: τὸν ἑαυτῶν φονέα μεταχειριζόμενοι; ex V, 14: ὁ γὰρ χρόνος καὶ ἡ ἐμπειρία .... ἐκδιδάσκει τοὺς ἀνθρώπους; cf. 37, 43, 81, 86, 91, 94, 95; in oratione sexta nulla translatio invenitur, nisi forte adferre volueris ex VI, 18: τὴν διάγνωσιν ποιεῖσθαι καὶ θηρεύειν. — Atque sententiarum figuras (σχήματα διανοίας) Antipho prorsus fere reiecit, quae, cum obviam fiunt, tam simplices sunt, ut earum usus in propinquo fuerit. Hae ferme sententiarum figurae, ut eas, quae his tribus orationibus communes sunt, solas commemorem, sunt: *Interrogatio,* orator ad iustitiam et sapientiam iudi-

cum et audientium conversus dicit, quod negari non potest, quod per se perspicuum et verisimile est, ut suam sententiam confirmet. Cf. I, 4, 26, 28; V, 45, 53; VI, 29, 43, 47, alia; aut ipse se interrogat et sibi respondet. Cf. I, 25; V, 58, 63, alia [1]). Anaphoram animadvertimus in I, 17: καὶ ἐπειδὴ . . . . . . καὶ ἐπειδή; cf. 25; in V, 12: ἀνώμοτος μὲν . . . . ἀνώμοτος δέ; cf. 44, 45, 58, 62; in VI, 17: καὶ εἴ φασιν ἀδικεῖν, εἴ τις ἐκέλευσεν, ἐγὼ οὐκ ἀδικῶ, οὐ γὰρ ἐκέλευσα · καὶ εἴ φασιν ἀδικεῖν, εἴ τις ἠνάγκασεν κτλ.; cf. 25, 34. Reticentiae figura, quam Blassius Antiphontem adhibuisse negat [2]), invenitur in I, 13: ἀλλ' οὐχ ὑμεῖς γε, ὦ ἄνδρες; in V, 41: οὐ χάριτι τῇ ἐμῇ—πῶς γάρ; ὅς γε κατεψεύσατο; 86: μὴ ὑμεῖς γε, ὦ ἄνδρες; in VI, 15: οὐ δῆτα ἔγωγε [3]).

Eas figuras autem, quibus posterioris aetatis oratores animis audientium stimulos addere eosque commovere studebant, usurpavit nullas. Et sagaciter observavit O. Mueller [4]) Antiphontem eiusque aequales animi cuiusdam ardoris et calliditatis expertes rem eo nondum perduxisse, ut oratio ipsa ad fallacias fingendas adhiberetur [5]).

Saepius Antipho elocutionis figuris, quae σχήματα λέξεως vocantur, usus est. De quibus, ubi de verborum ambitu verba faciemus, loquemur. Hoc loco id unum tangi velim figuram, quae efficitur, cum verba similiter desinentia coniunguntur, quam Hoppius falso sententiarum figuris adnumerat, saepius supra, ubi de coacervatione verborum cognominatorum mentio fiebat, inveniri [6]).

Verum ad ipsam illam structuram periodorum, quae est in Antiphontis orationibus, tractandam progrediamur. Qua in re viri docti ad unum omnes O. Muelleri [7]) hac de re sententiam adprobarunt. Is Antiphontem dicit neque λέξει εἰρομένῃ, quae vocatur, neque λέξει κατεστραμμένῃ uti, sed inter has dicendi rationes medium tenere locum, quamquam prioris dicendi generis ratio, ubi singula enuntiata coniuncta aut opposita appareant, usitatior sit [8]). — Quam Muelleri sententiam eo magis probo, quo facilior haec prior dicendi ratio est et quo minus Antipho, qui dignitatem et gravitatem sententiarum maxime spectabat, primis illis eloquentiae temporibus orationis formam curare poterat. Quod vero Antipho nullum dicendi genus, quod unum et solum esset, usurpabat, in eius dicendi genere non inveniuntur, quae unius generis propria sint, neque Dionysii Halicarnassensis de scriptoribus αὐστηρᾶς ἁρμονίας iudicio omni ex parte assentiri possumus, quod iam ex figurarum usu, quem Dionysius ab scriptoribus αὐστηρᾶς ἁρμονίας abiudicavit, cognosces [9]). Nam his ipsis variis dicendi rationibus adhibitis orationem suam variam gratamque reddidit. Accedit, quod orationes Antiphonteas obiter percurrentem non fugiet singulas earum partes non eadem omnes cura elaboratas esse. Velut in prooemiis et epilogis plerumque concinnae periodi inveniuntur; cf. quintae orationis prooemium, cuius periodi multa arte sunt limatae. Simili

---

[1]) Cf., quod Blassius a. a. O. S. 133 dicit. — [2]) A. a. O. S. 134. — [3]) Hoppius l. l. p. 52. — [4]) Griech. Lit. II. S. 133 ff. (4. Aufl.) — [5]) Blassius a. a. O. S. 134. — [6]) Cuius figurae alia exempla Hoppius l. c. p. 52 profert. — [7]) Griech. Lit. II. S. 130 ff. — [8]) Cf. M. G. Perrotum, Revue des Deux Mondes, 41 année, p. 433 ff. — [9]) Bellingius: De periodorum Antiphontearum symmetria. Diss. Vratislaviae, 1868, p. 64 sq. Contra eum dicit Goelkelius l. c. p. 33.

modo eae partes orationis, quibus confirmatio continetur, maioris studii sunt. Ab his autem partibus sunt diversae narrationes, in quibus orator ad id dicendi genus descendit, quo homines in sermonibus suis uti solent. Cui dictioni periodorum structura simplicior et compositio solutior conveniunt [1]). Atque alia, quibus similitudo orationis evitetur, observari possunt.

In dicendi autem genere, quod ad λέξιν εἰρομένην spectat, singula membra non artificiose componuntur, sed simpliciter copulantur, qua in copulatione frequens particularum γὰρ et οὖν usus observatur. Velut in I, 14: ὑπερῷόν τι ἦν τῆς ἡμετέρας οἰκίας . . . . . καὶ ἦν αὐτῷ . . . . . . ταύτην οὖν πυθομένη . . . . . . αἰσθομένην . . . . . Similiter in V, 9: πρῶτον μὲν γὰρ κακοῦργος ἐνδεδειγμένος . . . . . καὶ ὡς μὲν οὐ κακοῦργός εἰμι . . . . . περὶ γὰρ τῶν κλεπτῶν καὶ λωποδυτῶν ὁ νόμος κεῖται . . . . .; in VI, 12: ἐτύγχανε γάρ μοι πράγματα ὄντα πρὸς Ἀριστίωνα καὶ Φιλῖνον, ἃ ἐγὼ περὶ πολλοῦ ἐποιούμην, ἐπειδή περ εἰσήγγειλα, ὀρθῶς καὶ δικαίως ἀποδεῖξαι . . . . . ἐγὼ μὲν οὖν τούτοις προςεῖχον τὸν νοῦν . . . . . alia. — Maiorem artem componendi et concinnitatem quandam in ea enuntiatorum coniunctione cernimus, quae per καὶ . . . καὶ, οὔτε . . . οὔτε, μὲν . . . δὲ similibusque particulis fit. Si singula autem enuntiationis membra inter se respondent et verba paribus locis prodeunt, quae compositio Antiphontis maxime propria est, haec per se artificiosa quidem est structura, eos autem, qui legunt, taedio quodam adficit, quod interdum tanto opere ab oratore frequentata est. Quare, ut hanc iterationem vitet, compositionem membrorum vario modo asperam et inaequabilem reddit. Veluti unum e membris inter se respondentibus omittitur, ita ut hic illic antecedenti μὲν particula δὲ non respondeat aut aliae particulae sequantur aut prorsus sint praetermissae in I, 18: καὶ τὰ μὲν ἄλλα μακρότερος ἂν εἴη λόγος . . . . ἀ λ λ ὰ πειράσομαι τὰ λοιπὰ . . . . .; in V, 8: π ρ ῶ τ ο ν μ ὲ ν ο ὖ ν, ubi non consequuntur particulae ἔπειτα δέ; in VI, 14: καθειστήκει μὲν ἡ χορηγία οὕτω· κ α ὶ τούτων εἴ τι, ubi particulam μὲν particula καὶ sequitur. In I, 9: τοῦτο μ ὲ ν γὰρ ἐθέλησα μ ὲ ν τὰ τούτων ἀνδράποδα βασανίσαι . .; ubi particula μὲν bis posita est; in V, 42: τοῖς δὲ ἐπὶ τοῦ τροχοῦ λεγομένοις, οὓς ἐκεῖνος ἀνάγκῃ μᾶλλον ἢ ἀληθείᾳ ἔλεγε, τούτοις δὲ διεφέρετο; in VI, 45: κ α ὶ οἱ μὲν ἄλλοι ἅπαντες . . . . . καὶ ἐν αὐτῷ τῷ βουλευτηρίῳ . . . . κ α ὶ εἰσιόντες, ubi eaedem particulae saepius exstant. In I, 8: ἠρώτα οὖν αὐτὴν . . . . μετὰ ταῦτα ἔτυχε . . . .; in V, 71: οὕτως ἀγαθόν ἐστι μετὰ τοῦ χρόνου βασανίζειν τὰ πράγματα; in VI, 35: κατηγορήσειν ἔμελλον Ἀριστίωνος . . . . . ubi particulae, quibus sententiae et verba coniunguntur, omissae sunt [2]). Ceterum Schaefer [3]) et Wetzellus [4]), qui Schaeferi libellum supplevit, apud Antiphontem variarum particularum usum in variis orationibus eundem fuisse demonstrant, unde uterque pro sua parte orationes has eiusdem scriptoris esse demonstravit.

Atque Antipho in crebris sententiarum verborumque iterationibus, quibus

---

[1]) Bellingius l. c. p. 63. — [2]) Complura huius rei exempla Hoppius l. c. p. 41 sq. et Bothius l. c. p. 54 sq. proferunt. — [3]) De nonnullarum particularum apud Antiphontem usu. Diss. Gottingae 1877. — [4]) Beiträge zu dem Gebrauche einiger Partikeln bei Antiphon. Progr. des Gymn. Fridericianum zu Laubach. Schulj. 1878/79. Frankfurt a. M. 1879.

prima oratio inter ceteras excellit, formas quoque, ne, qui audiunt vel legunt, nimis offendantur, variare studet. Quare in singulis periodorum partibus et verborum tempora et modos mutat; aut verba singula, quae inter se respondent, aliis, quam quibus debebat, locis ponit. Saepenumero in alteris periodorum partibus et verba et sententias addit, quibus quae respondeant non sunt in alteris. Tum enuntiationes, quibus periodi efficiuntur, eo reddit dissimiles, quod et vocabula singula et totas verborum, quae inter se respondent, componendorum atque coniungendorum rationes variat. Denique si orationes perlustraverimus, exempla inveniemus, quibus dilucide apparet oratorem planam et verborum et sententiarum concinnitatem, quam facillime efficere potuit, de industria vitasse [1]).

Neque vero iustae et legitimae periodi Antiphontis orationibus desunt. Argumento est, quod saepius mutationibus, quarum supra mentionem fecimus, utebatur. Quibus ei opus non fuisset, nisi orationes variare studuisset. Praecipue autem huius est propria accurata et subtilis illa periodi partium distinctio et divisio, id quod Hoppius aequo plus neglexit. Namque saepissime duo verba modo hac, modo illa particula coniunguntur, alibi notiones inter se diversae opponuntur. Quo binas notiones componendi studio varietatem dicendi neque minus figuris compluribus adhibitis concinnitatem quandam enuntiatorum elegantiamque ambitus efficit. Veluti binae notiones variis particulis copulantur in I, 25: καὶ γὰρ δικαιότερον καὶ ὁσιώτερον καὶ πρὸς θεῶν καὶ πρὸς ἀνθρώπων γίγνοιτο (ἂν) ὑμῖν; in V, 18: ὄνειδός τε αὐτῷ τε ἐμοὶ περιέθεσαν καὶ τοῖς ἐμοῖς προσήκουσιν εἰς τὸν βίον ἅπαντα; in VI, 10: καίτοι αὗται αἱ κατηγορίαι οὔτε χάριτος ἄξιαι οὔτε πίστεως, alia [2]).

Inprimis autem Antipho delectatur verbis contrarie relatis. Atque inter se verba et enuntiata opponuntur. Nonnullis exemplis hanc Antiphontis consuetudinem illustrabo: In I, 3: τοῦτο μὲν εἰ ἐπισκήψαντος τοῦ πατρὸς ἐπεξελθεῖν τοῖς αὐτοῦ φονεῦσι μὴ ἐπέξειμι τοῦτο δὲ εἰ ἐπεξιόντι ....; 25: δοῦναι δίκην ἢ μή; 27: ἐπὶ τοῖς ἀκουσίοις παθήμασι μᾶλλον προσήκει ἢ τοῖς ἑκουσίοις ....; in V. 51: τούτων μὲν τὸ φάσκειν, ἐμὴ δὲ τὸ μὴ φάσκειν .....; in VI. 10: πιστεῦσαι δήπου αὐτῷ ἀξιώτερόν ἐστιν ἢ ἀπιστῆσαι; cf. I, 24; V, 22, 62, 73; VI, 31. Alibi id, quod in uno membro adfirmatur, in altero negatur aut duo diversa et contraria facta vel sententiae ita opponuntur, ut altera negentur, altera adfirmentur. Velut in I, 6: ἐν οἷς μὲν γὰρ αὐτῷ ἐξουσία ἦν σαφῶς εἰδέναι ...... οὐκ ἐθέλησεν· ἐν οἷς δ'οὐκ ἦν πυθέσθαι, τοῦτο αὐτὸ προὐθυμήθη; cf. I, 8. Similiter in V. 51: ὁ μὲν γὰρ ἔφησεν, ὁ δὲ διὰ τέλους ἔξαρνος ἦν; vide V, 22, 28, 42, 49, 63; in VI. 16: διωμόσαντο δὲ οὗτοι μὲν ἀποκτεῖναί με Διόδοτον βουλεύσαντα τὸν θάνατον· ἐγὼ δὲ μὴ ἀποκτεῖναι ...; cf. VI, 17, 29, 43; in I, 28: οὐ γὰρ δήπου μαρτύρων γ' ἐναντίον οἱ ἐπιβουλεύοντες ..... παρασκευάζουσιν, ἀλλ' ὡς μάλιστα δύνανται ..... καὶ ὡς ἀνθρώπων μηδένα εἰδέναι; in V, 13: λέγεις δὲ ὡς οὐκ ἂν παρέμεινα εἰ ἐλελύμην, ἀλλ' ᾠχόμην ἂν ἀπιών ...; in VI, 1: ἥδιστον μὲν ὦ ἄνδρες δικασταὶ .... μὴ γενέσθαι .... εἰ (δ') ἄρα τις καὶ ἀναγκάζοιτο κινδυνεύειν ... [3]) Atque inprimis, ut supra vidimus, ea enun-

[1]) De quibus rebus copiose ornateque dixit Hoppius l. c. p. 33—40. — [2]) Cf. exempla, in quibus orator verbis cognominatis utitur. — [3]) Vide Bellingium l. c. p. 28 sqq.

tiata exculta sunt, in quibus singula membra opponuntur, qua in oppositione Antipho saepius tam bene distinguit et opponit, ut cum summa nostra admiratione accuratam illam singularum partium formationem reperiamus, qua posterioris aetatis excellunt oratores Atheniensium. Ut autem vis et gravitas eorum, quae orator dicit, augeatur, figuras elocutionis adhibet. Atque primum parison et homoeoteleuton, quae vocantur, cernuntur in exemplis I, 4: οὗτοι τοῦ μὲν τεθνεῶτος φονῆς γεγένηνται, ἐμοὶ δ'ἀντίδικοι καθεστᾶσι; 15: εἶναι φάσκουσα αὐτῆς μὲν τοῦτο εὕρημα, ἐκείνης δ'ὑπηρέτημα; cf. I. 18, 20, 26; in V, 1: νῦν δὲ τοῦ μὲν πεπείραμαι πέρα τοῦ προσήκοντος, τοῦ δὲ ἐνδεής εἰμι μᾶλλον τοῦ συμφέροντος; 2: οὗ δέ με δεῖ σωθῆναι μετὰ τῆς ἀληθείας εἰπόντα τὰ γενόμενα, ἐν τούτῳ με βλάπτει ἡ τοῦ λέγειν ἀδυναμία; cf. V, 5, 22, 23, 46, 47, 50, 52, 53, 54, 60, 69, 72, 73, 88, 91: τὸ μὲν γὰρ ἁμάρτημα μόνον ἐστί, τὸ δὲ ἕτερον καὶ ἀσέβημα; 93, 94: νῦν μὲν οὖν γνωρισταὶ γίγνεσθε τῆς δίκης, τότε δὲ δικασταὶ τῶν μαρτύρων; in VI, 17, 46: ἐξὸν αὐτοῖς ἀπογράφεσθαι καὶ εἴργειν ἐμὲ τούτων ἁπάντων, οὐκ ἠξίουν ἀπογράφεσθαι [1]). Hoc loco chiasticam et anaphoricam, quae dicitur, verborum collocationem addo. Exempla sunt in I, 12: εἰ γὰρ τούτων θελόντων .... μὴ ἐδεξάμην, τούτοις ἂν ἦν ταῦτα τεκμήρια· τὸ αὐτὸ οὖν τοῦτο καὶ ἐμοὶ γενέσθω, εἴπερ ἐμοῦ θέλοντος ἔλεγχον λαβεῖν τοῦ πράγματος αὐτοὶ μὴ ἠθέλησαν δοῦναι; cf. I, 7; V, 7, 16, 31, 48, 86, 87; VI, 4, 5, 8, 9, 18, alia [2]). Etiam anaphoricas et chiasticas, quas dicunt, collocationes coniunctas observamus [3]). Velut in I, 5: ἄλλως τε καὶ τοῦ μὲν ἐκ προβουλῆς ἀκουσίως ἀποθανόντος, τῆς δὲ ἑκουσίως ἐκ προνοίας ἀποκτεινάσης; cf. I, 29, 30; in V. 45: ἔπειτα ἐν τῇ γῇ μὲν ἀποθανόντος, ἐντιθεμένου δὲ εἰς τὸ πλοῖον, οὔτε ἐν τῇ γῇ σημεῖον οὐδὲ αἷμα ἐφάνη οὔτε ἐν τῷ πλοίῳ, νύκτωρ μὲν ἀναιρεθέντος, νύκτωρ δ' ἐντιθεμένου εἰς τὸ πλοῖον; cf. V, 12, 27, 85, 90; VI, 24, 25, alia. —

Ex exemplis, quae modo congessi, concinnitatem quandam in periodorum structura Antiphontis exstare patet, nec solum in amplioribus periodis, sed etiam in parvis studium in singulas particulas dividendi concinneque componendi apparere. Neque minus clarum est studium partium congruentiae et in periodo ex huius legibus composita accuratam membrorum relationem et aequalitatem inesse; periodorum autem ambitum parvum eumque maximam partem iis adtribuendum esse, quae constant e duobus enuntiatis pari loco positis aut e duobus enuntiatis, quorum alterum alteri est subiunctum; interdum verborum ordinem numerum quendam sine ulla aperta oratoris industria, ut ab oratore fortuito adhibitus esse videatur, efficere [4]). Denique Antiphontem studia sophistarum, qui medio fere saeculo quinto Athenas venerunt et verborum et sententiarum argutiis aurium voluptati serviebant, amplexum oratoria illa ornamenta ad prioris eloquentiae simplicitatem adiecisse videmus. Talem vero oratorem etiam ampliores periodos pulchra aequilibritate et partium convenientia insignes formare potuisse perspicuum est.

---

[1]) Blassius a. a. O. S. 115. Anm.— [2]) Hoppius l. c. p. 35. — [3]) Praetermitto multa exempla, ubi particulis μὲν-δὲ duo verba coniunguntur, ut anaphora oriatur, velut in I, 18, 20, aut idem vocabulum complurium enuntiationum iteretur. — [4]) Spengelius, συναγωγὴ τεχνῶν p. 97 sq., qui contra hanc sententiam dicit.

Exempla adferam haec ex I, 15: εἰ οὖν ἐθέλοι πείθεσθαι, ἔφη ἱκανὴ εἶναι ἐκείνῃ τε τὸν Φιλόνεων φίλον ποιῆσαι καὶ αὐτῇ τὸν ἐμὸν πατέρα, εἶναι φάσκουσα αὐτῆς μὲν τοῦτο εὕρημα, ἐκείνης δ' ὑπηρέτημα; cf. I, 29, 30; ex V, 14: ὥστε οὐ δεῖ ὑμᾶς ἐκ τῶν τοῦ κατηγόρου λόγων τοὺς νόμους καταμανθάνειν, εἰ καλῶς ὑμῖν κεῖνται ἢ μή, ἀλλ' ἐκ τῶν νόμων τοὺς τῶν κατηγόρων λόγους, εἰ ὀρθῶς καὶ νομίμως ὑμᾶς διδάσκουσι τὸ πρᾶγμα ἢ οὔ; ex VI, 24: καὶ ταῦτα ἐμοῦ προκαλουμένου καὶ λέγοντος ἐν τῷ δικαστηρίῳ, οὗ καὶ αὐτοὶ οἱ δικασταὶ καὶ ἕτεροι ἰδιῶται πολλοὶ μάρτυρες παρῆσαν, οὔτε τότε παραχρῆμα οὔτε ὕστερον ἐν παντὶ τῷ χρόνῳ οὐδεπώποτε ἠθέλησαν ἐλθεῖν ἐπὶ τοῦτο τὸ δίκαιον, εὖ εἰδότες ὅτι οὐκ ἂν τούτοις κατ' ἐμοῦ ἔλεγχος ἐγίγνετο οὗτος, ἀλλ' ἐμοὶ κατὰ τούτων ὅτι οὐδὲν δίκαιον οὐδ' ἀληθὲς ᾐτιῶντο[1]).

Quamquam concedo in Antiphontis dictione antiquitatis quendam colorem ac gravitatem quandam sermonis inesse nec raro vigorem dicendi atque nitorem desiderari eiusque artem oratoriam, si cum Isocratis et Demosthenis arte contuleris, nondum esse perfectam, quippe quae sensim et gradatim ad summam perfectionem a posterioris demum aetatis oratoribus perducta sit, tamen neminem repugnaturum esse spero, quominus iam in Antiphontis orationibus reperiamus pulchritudinem quandam dicendique artem, qua Atticorum eloquentia altiorem ascenderit gradum [2]).

Nec minus ab his orationibus inter se comparatis argumentum petimus in his easdem inveniri sermonis proprietates, idem dicendi genus, easdem sententias, eandem rerum inventionem ac dispositionem. — Et si quis, cum eaedem sententiae reperiantur in prima oratione atque in orationibus quinta et sexta, illam ab imitatore aliquo conscriptam esse vult, fallitur; mirum enim esset, si is, qui Antiphontem sibi imitandum proposuisset, in omnibus uno, quod supra commemoravimus, excepto, quamquam id ipsum haud parvi momenti est, eum amplexus esset. Quodsi orationes quinta et sexta expedita et facile currente oratione altius quam oratio prima exsurgunt, id temporum ratione explicatur, cum aliter scribere eum, qui excolenda arte se exerceat, aliter, qui ad summum artis fastigium pervenerit, perspicuum sit; quod harum orationum discrimen haud magni ducendum est, praesertim cum ipsa oratio sexta ab oratione quinta quibusdam rebus differat. Denique argumentorum inopia, qua oratio prima a reliquis differt, naturae rei, qua maiora argumenta adferri non possunt, attribuenda est.

Ceterum perlibenter concedo nos, ut ait Blassius [3]), notitiam Antiphontis habere minorem, quam ut ea, quae in orationibus eius eximia ac propria insunt, perspiciamus, quamvis id necessarium sit ei, qui, utrum orationes ab hoc compositae sint necne, sententiam ferre vult. Sed nisi alia ad ea, quae in oratione prima offensioni sunt, accedent, eam aeque atque orationes quintam et sextam freti locis, qui foris quique ex sua sumuntur vi atque natura, Antiphontis esse iudicabimus.

Scripsi Vindobonae mense Quintili a. 1884.

Fr. Wiedenhofer.

---

[1]) Alia exempla talium periodorum invenies apud Hoppium l. c. p. 33 sq. — [2]) Westermanni Ant. „Geschichte der gr. Beredsamkeit", Leipzig 1833, §. 41, S. 62 f. — [3]) Attische Beredsamkeit, S. 184.

